LEGATVS PACIS,

SVPPLICANS APVD DEVM, PRO PACE REGVM, ET QVIETE POPVLORVM,

VOTAQVE EXPONENS ORBIS CHRISTIANI ad illam adspirantis & ingemiscentis, per Explanationem Psalm. 79.

CALAMITOSO HVIC TEMPORI TOTO CONTEXTV, IN singulis Versibus accommodati, & varijs scripturis de lumine Dei luminosis, de melle Cœli melleis adornati, varijsque Patrum Orthodoxorum sentent: & Sacris Historijs, ac profanis decorati.

Interprete Ad.dum R.do D. IACOBO MARCHANTIO, IN DITIONE LEODIENSI THEOLOG. ET SAC. litterarum Professore.

TITVLVS PSALMI.

PRO HIS QVI COMMVTABVNTVR, ALIA lectio habet Pro LILIIS.

Qui regis Israël intende, Qui deducis velut Ouem IOSEPH Psalm. 79.

Cum Approbatione Superiorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Henningij, sub signo Cerui.
prope S. PAVLVM. Anno 1648.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. FABIO CHISIO DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO NERITONENSI, SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, D. INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ DECIMI,

AD TRACTVM RHENI, ET ALIAS INFERIORIS GERMANIÆ partes cum potestate Legati de latere

NVNCIO ORDINARIO, ET AD TRACTATVS PACIS VNIVERSALIS MONASTERII NVNCIO EXTRAORDINARIO,

Domino suo Obseruandissimo.

LEGATVS hic PACIS qui ab authore multo gemitu ac lachrymis velut famulitio stipatus ad Deum proficiscitur, nescio an inter homines hospitium sit reperturus, adeo ex omnibus Europæ partibus nouo bellorum

apparatu inueterata Principum odia recrudeſcunt, vt non temerè conijcias non aliter quā armis & ſanguine pacem quæſitum iri. Sane quis ſingularum nationum ſenſus ſit ignoro: pacem in omnium bonorum votis & deſiderio eſſe non dubito: pacem, inquam, glorioſam & ſalutarem Eccleſiæ Catholicæ. O vbi lates rerum pulcherrima! corona felicitatis noſtræ, Regina prouinciarum, tot gemitibus, tot lachrymis expetita, tot millium nece, & ſanguine quæſita, *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris nos inimicos tuos*, Reuertere, obſecro, reuertere ô lux animorum noſtrorū, fons publicæ lætitiæ, & vera imago tranquillitatis futuræ, quādo licebit dicere, *hyems tranſit, imber abijt & receſsit, hyems* aſperrimi & diuturni belli, *imber* tot fulminum & tempeſtatum, tot præliorū, tam multi, & prodige effuſi ſanguinis, ſed reuertere tu & iam mala omnia abierint.

Hæc, *Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Domine*, vota ſunt & deſideria omnium bonorum, quid ni etiam *Celſitudinis Tuæ*, quæ iam aliquot per annos Monaſterij in pacis Vniuerſalis procuratione ita laborat, vt in ea omnes boni ſpem fiduciamque maximam repoſuerint, fore vt perruptis aliquando difficultatibus, compoſitis odijs ac conciliatis inter ſe principibus, pax ſyncera, & ſtabilis conficiatur. Hoc

est iudicium de *Celsitudine Tua*, non modo summorum Principum, sed etiam orbis Christiani vniuersi, hanc spem excitauit in animis omnium ac fouet deinceps constantissima fama nõ vulgarium virtutum, quibus supra inuidiam emines: Nam de Castitate, Sobrietate, Modestia, Pietate, alijsque quæ Principem Ecclesiasticum decent, cùm huius loci non sint, nihil attingam; ne aures tuas conuulnerem, nullis, nisi tuis laudibus alienas. Sapientia tua, & rerum vsus, doctrinæque splendor, faciunt vt de *Celsitudine Tua*, ciusque expeditione, & felici negociorum euentu, quam optime speremus, hanc de te existimationem orbi Christiano vniuerso pepererunt duo Summi Pontifices VRBANVS VIII. sanctissimæ memoriæ, & INNOCENTIVS X. qui etiamnum Ecclesiam summa cum laude & sapientia moderatur, quorum alter te amplissima cum potestate, his tractatibus præesse voluit, alter suo iudiciõ confirmauit.

Accipe, igitur, *Illustrissime Domine*, *Legatum Pacis* quo enim alias ille, nisi Monasterium proficiscatur? vbi hospitium nisi apud te speret? in domo, inquam, & contubernio pacis. Non opus vt diu, pro hospite circumspiciat, Lemma ipsum insignium tuorum inuitat, in quo IVSTITIA PAX & VERITAS primas tenent. Diuertat igitur *Legatus Pacis* ad in-

terpretem & arbitrum pacis, imo ad Collegam. Nuſquam eſt vbi benignius accipi, vbi liberalius haberi, vbi auidius foueri ſperet. Plenus eſt deſiderio trãquillitatis, execratur tot annorum cruenta bella, tot cædes, incendia, direptiones, vaſtitates. Horret tam perniciosa Regum & Principum diſſidia, deteſtatur & deplorat tot florentiſſimarum Prouinciarum̃ incommoda, tot mala Reipublicæ Catholicæ. Suadet concordiam, hortatur ad pacem, atque adeo eſt *Celſitudini Tuæ* quam ſimillimus. Neque eſt quod temeritatẽ, aut procaciam eius in argumento tam lubrico pertimeſcas. Acceſſerit forte non inuitatus, ſed tamen nemini moleſtus, nemini inimicus niſi pacis oſoribus, & contentiſſimus quocunque eum loco etiam inter poſtremos dignaberis. Nullo grauis eſt comitatu, nullo ſatellitio magnificus niſi lacrymarum & gemituũ, quibus ad Deum Opt. Max. pro pace ſupplicat, hæc ſi grauia ſunt auribus martialibus, & non niſi militari claſſico, aut funeſto machinarum fragori adſuetis certe ad te locum inuenient, qui deſperatis iam prope omnibus medijs humanis, hæc poſtrema & prioribus illis magis efficacia, iam pridem adhibere non ceſſas.

Accipe igitur, *Illuſtriſsime Domine* hunc quem dixi LEGATVM & quoniam caret Patronis, in clientelam

lam tuam, & defensionem qua soles humanitate recipe; satis se commendatum vbiq; arbitrabitur cum *Celsitudinis Tuæ* iudicium, fauorem, ac beneuolentiam experiri licuerit. Datum Coloniæ Agrippinæ, XII. Cal. Febr. Anno Salutis. M. DC. IIL.

Celsitudinis tuæ

Humillimus & deuotissimus Cliens

Ioannes Henningius
ciuis & Bibliopola
Coloniensis.

APPROBATIO.

PRout relatu eorum didici, qui Irenicum hunc Legatum accuratè examinârunt; nil impedit, quò minus publici iuris factus, orbi vniuerso paciferæ Ramum prætendat oliuæ. Vtinam! Coloniæ Agrippinæ 2. Ianuarij. Anno 1648.

Henr. Francken Sierst. SS. Th. D.
Gymn. Laurent. Regens, librorum Censor ordinarius.

APPROBATIO
ALTERA,

EX commißione R.di & Eximij, librorum Censoris Ordinarij &c. ego infrascriptus perlegi libellum titulo Legati pacis insignitum, Authore R. D. Iacobo Marchantio Theologo, omniaque in eo Orthodoxè, piè, atque eleganter deducta reperi; vnde vtilißimum iudico, qui publici iuris fiat. Dabam 2. Ianuarij 1648.

Fr. Eusebius Vrbani, Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci, SS. Theologiæ Doctor, ac in Conuentu Coloniensi eiusdem Ordinis Lector.

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM,

INNOCENTIVM DECIMVM,

PONTIFICEM MAXIMVM,

CVM HVMILI PEDVM OSCVLO.

BEATISSIME, ET SANCTISSIME PATER.

Libellus hic, LEGATI PACIS Titulo in fronte ſignatus, Benedictionem à Sanctitate Veſtra expoſcit, vt fœlici greſſu progrediatur ad DEVM, vota & lamenta Chriſtiani Orbis expoſiturus pro PACE Regum, & quiete Populorum. Orbis Summus es MODERATOR, PASTOR, PATER: His Titulis pijs allectus cum fiducia ſe ſiſtit in conſpectum. Nec veretur repulſam, quia diſſerit de LILIIS, de COLVMBA, de OLIVA, PACIS Chriſtianæ ſymbolis Hieroglyphicis, pro Pontificio ſtemmate electis, & erectis.

Optat, & precatur apud Deum Opt. Max. vt ſis

nobis NOE eripiens à fluctibus: consolans à laboribus & ærumnis bellicis: tandemque demonstrans ARCVM, signum fœderis, in nubibus cœli; in Principibus sæculi, qui *vt Nubes volant*: vt vltra imbrem non fundant sanguineum, qui submergat Orbem; sed *Pluuiam voluntariam* PACIS, *quam segregauit Deus hæreditati suæ*. Precatur vt sis AARON, à Capite Vnguentum odoriferum CONCORDIÆ & PACIS defluat in Genas, in Principes & Primates, vsque ad *Oram Vestimenti*, vsque ad infimam Plebem, omnes lætitiæ oleo perfundens. Precatur, vt Virga Pontificia, Sceptrum Sacerdotij Regalis, producat nobis Frondes, Flores, Fructus Amygdalinos; PACIS fructus, tamdiu optatæ, tamdiu petitæ, & repetitæ, quibus Grex Domini *sub Vmbra culminis tui* pascatur, delitiosè, quietè, securè. Precatur vt sis Moyses, deducens populum Dei cum ARCÆ FÆDERIS feliciter, & cum Columna Ignis & Nubis, Symbolo PACIS lucidæ in nocte, ac roscidæ refrigerantisque in die. Precatur, vt sis Gedeon, *succisor iniquitatis & doloris*, secundum interpretationem Nominis; possisque erigere ARAM, in qua cum lætitia publica inscriptum legamus, DOMINI PAX. Precatur deniquè, vt sis VIR DEXTERÆ DEI, Vir fœlicitatis & roboris; sit-

que

que Manus Domini super Te, confirmans Te, Populumq; Christianum per Te, solida & Sancta PACE. Quid vltra optare posset? De his omnibus in suo contextu differit Libellus iste, super eloquio Domini fundatus. Atq; cum omnibus his votis securè accedit, & ad Beatissimos pedes cum demissione se aduoluit, non dimissurus, nisi, vt IACOB AB ANGELO, benedictionem impetret. Dicitque meritò idem quod olim ESTHER REGINA Regi: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei. Valdè mirabilis es, & facies tua plena gratiarum.* Ita faue, BEATISSIME PATER, & feliciter, æternumque viue: intende, prospere procede, & regna. Etenim propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, deducet te mirabiliter dextera tua; vel potius dextera Dei, & Sancti Israël, qui elegit te.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

PACEM hoc turbido æuo tot votis Christiani Orbis optatam, videntur quidam Potentes vel negligere, vel respuere. Ideoque interrogati de Pace respondent illud Regis Iehu. 4. Reg. 9. QVID TIBI ET PACI? TRANSI ET SEQVERE ME. Propterea ad Deum PACIS hunc PACIS mitto Legatum, non Phaleris aut aureis operimentis fulgidum, non Gemmis pretiosis magnificum, non famulitio fastuoso aut satellitio numeroso stipatum: sed pro Comitatu suspiria, singultus, lamenta secum ducentem: sed cilicio & sacco vestitum, lachrymisque, quasi Gemmis & vnionibus, adornatum; sicque pro Pace & vnione Vniuersi Orbis supplicantem apud Deum. Fortè veretur tali comitatu & habitu lugubri repulsam, cùm olim non licuerit sacco & cilicio vestitum Aulam Regiam introire, vt Mardochæus testatur apud Estherem. Sed hæc omnia licet funestum quidpiam præ se ferant, grata erunt ANGELIS PACIS, qui apud Isaiam amarè flebant, *dum PAX ab eis nunciata repudium pateretur. Per illos igitur in Aulam Æterni Regis introducentur, & benignam eius aurem, a uramque gratiæ inuenient,*

Si homines Pacem negligunt adeò optatam, adeò amabilem, quid ni meritò ad Deum vota & lamenta conuerto, qui supplicantibus eam promisit; & qui sicut diuisiones aquarum tenet in manu sua corda Regum, vt quocumque voluerit possit ea inclinare, *teste Sapiente. Tu ergo beneuole Lector, Pacis dilector, mecum vota coniunge & lamenta, vt tam benigna Nympha tandem Orbem reuisat; nouaque nos luce sua illustret, tamdiu extorris & exilio pulsa. Mecum vota coniunge, vt ad illam Deus Opt. Max. qui se DEVM PACIS appellat, Regum & Principum corda inclinet. Hoc tota intentione exposcit Libellus iste. Exposco & ego eius auctor, qui secundum eloquium veritatis eum contextui ex Psalmo septuagesimo nono, accommodato huic tempori calamitoso. Quod si aliqua pro veritate liberius dicta esse videantur,* Qui legit, intelligat, *& benignè interpretur; quia scripturarum eloquia & Sanctorum doctrina pro veritatis manutentione stant; & ipsa gestit ad Deum euolare veritas, contra vanitatem fucatam lamenta & querimonias deponens. Reges omnes & Principes suspicio & veneror, sciens scriptum,* Honorem, cui Honorem; *nec eos ex passione aliqua, aut æmulatione, inter se confero aut præfero. Nec ego scrutor corda Regum, aut Mysterium*

rium consilij eorum: sed solum significo Ecclesiam, & Regna, Nationes & Prouincias, lugere & singultire, in occursu tot malorum inundantium, totq; annis perdurantium ob diuisionem Regum & Principum; & opto lachrymas piorum ascendere in cœlum supplices pro tranquillitate & Pace omnium. Sic Vale, sic faue, ô dilecte Lector, Pacis dilector & sectator, & mecum recole illud Propheta. Pacem & veritatem diligite.

EPIGRAMMA

Allusio ad Titulum Psalmi 79.

PRO LILIIS.

LILIA *fert* FRANCVS, *fert* LILIA *Præsul & Vrbis:*
Huicque OLEÆ RAMVM, *Læta Columba refert.*
An non hæc PACIS *prognostica Symbola, in Orbe*
Bellis concusso, mens Pia crediderit?
LILIA *iunge* AQVILIS, *sint* LILIA *iuncta* LEONI,
PAX *optata aderit: Respice vota Deus,*
Candida Nympha tuis CONCORDIA *dedicet Aris,*
Quæ sunt Areolis LILIA *nata tuis:*
nVLLa saLVs beLLo, paCeM VoX pVbLICa posCIt:
PaX erIt arVa beans, regna beata parans.

Anno 1648. Chronicon.

AD SS.[mam] TRINITATEM, ET VNITATEM,

Votum Ecclesiæ Sanctæ, pro Trina Pace ter repetitū,
Ex Isaiæ cap. 26.

DOMINE DABIS NOBIS PACEM:
SERVABIS PACEM:
PACEM, QVIA IN TE SPERAVIMVS.

Isa. 26. ex versu 3. & 12.

LEGA-

LEGATVS PACIS
Explicatio Psalmi Septuagesimi Noni
VERSVS PRIMVS
Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph.
SECTIO PRIMA
Explicat Quis sit Israel, Quis Rector Israelis?

SAtagentis, solliciti, in tribulatione positi, vox est ista Psalmum initians, vt verbis S. Augustini loquar. Sed quis est Israel iste, gemebundam ad suum, Moderatorem & Rectorem dirigens vocem, vt eius & aures illiciat & oculos? Quid est Israel, nisi ***Videns Deum***, aut ***Princeps cum Deo?*** Vtrumque istud, vox hæc Hebræa designat.

Bonum est omen, hoc cælitus inditum nomen, secum ferens electionis præsagium. Quis verò alius Israel, quam populus Christianus, adspirans ad veram Pacem, ac Dei visionem, ad sublimem Principatum cum Deo? Quis alius, quam populus, quem Apostolorum Princeps his decorat elogijs: ***Vos genus electum Regale sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. Ad hunc præcipuè spectat, teste Apostolo, adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & Legislatio, & obsequium, & promissa.*** Meritò igitur Israel vocatur, Israelisque nomine censetur, qui Israelis priuilegio Dei fauore potitur. 1. Pet. 2. Rom. 9.

Quis verò est iste Rector & Moderator, quem tot votis inuocat, vt sibi intendat? Tu es, ô Christe, Israelis Lux & Dux. Tu illum manu regis & imperio, minis terres & exitio, voce allicis & obsequio. Tu illum deuiantem dirigis, collabentem erigis, delinquentem corrigis. Quid Dicam? Potiori ratione, & sublimiori voce, ad te potest inclamare illud quod Elizeus ad Eliam populos & Reges regentem:

Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga eius. 4 Reg. 2.

Tu Currus, Tu auriga Israelis, Tu eum portas, eius supportas onera, & infirmitates, & in Cælum vectans, flectis simul Currus habenas, Axes voluis & Rotas, & quidem ita fæliciter, vt euadant præcipitia, qui vehuntur, & confragosa superent itinera. O fælix Quadriga, fælix & Auriga, ad optatam metam, quos vehit, potens euehere!

Dicitur olim Phaethon à Patre ambitiosa & malesana præsumptione Solis Quadrigam, & Equos regendos expetijsse, sed ita infælici rexit cursu, vt vastitatem

terræ Cæloque aduexerit. Tibi, ô Christe, qui terrena simul ac cælestia moderaris in gratiam Israelis, Tibi, inquam, soli Solis currus est commissus à Patre: non tanquam Phaetonti id ambitiosè exquirenti, sed tanquam suo sapientissimo filio id innumeris titulis promerenti. Ideò dicis: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.*

Math. 18.

An ergò mirum si ad te vox hæc supplex & flebilis dirigatur. *Qui regis Israel intende?* Tu tribus digitis, Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, appendis & regis molem terræ. *Sub te curuantur qui portant orbem, & eos inscios subuertere potes in furore tuo.* Tu pro libito tuo illos accingis, discingis: Baltheo induis, exuis; gloria & decore circumdas, inglorios dimittis & humilias. Et hoc Reges intelligite, sicque Regem hunc super vos agnoscite, atque femori eius inscriptum à Patre legite; REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM. Denique illi seruite in timore & tremore, quia quando vult Baltheum Regum potest dissoluere, & fune eos mæsto funestoque constringere. Iterum repeto. *Tu qui regis Israel intende.* Dum Reges ac Principes, Dum variæ Prouinciæ & Respublicæ hoc infœlici æuo tumultuantur pro Regnis, & regimine: dum dissident & decertant manusque & arma conserunt magna cum populorum clade; Tu moderamina suprema cum imperio suscipe, & effice, *vt conteratur Sathanas velociter sub pedibus eorum*, & impleatur illud Præconis & Tibicinis tui: Pax super illos, & super Israel Dei. *Ad te qui facis concordiam in sublimibus tuis* (vt loquitur Sanctus Iob) dirigimus obsecrationes, orationes, postulationes, iuxta monitum Apostoli tui, Legati Pacis, *pro his qui in sublimitate sunt, vt tranquillam vitam agamus in omni Castitate & pietate.* Hoc tibi gratum, ratumque nouimus. Quid vltra valemus.

Iob 12.

Rom. 6.

Gal. 6.

Iob 25.

1. Thim. 2.

Ad te clamamus qui nosti *Viam Aquilæ in Cælo, viam colubri super terram, viam nauis, in medio mari.* Hæc est via Ecclesiæ tuæ, vndiquè agitatæ & concussæ. Tu regis Nauem qua fertur Israel, Tu illius & Archinauarchus es ac Proreta, Tibi clauus & Gubernaculum commissa sunt cum Puppi & Prora. Sed eheu: Ecce mare tumet, fremunt venti, allidunt Scopuli, mergitur ratis: vno tantum gradu à morte diuidimur, nisi nobis intendas & succurras. Vndiquè cernimus mirabiles elationes maris: *Eleuauerunt flumina vocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum.* Videtur Neptunus furens & fremens iam Equum Martialē ex vndis suis exsuscitasse, vt more Poëtico loquar. Equum, inquam, illum qui procul odoratur bellum, & circumfusum collo suo gerit hinnitum, qui terram vngula fodit, & exultat audacter in occursum pergens armatis, qui feruens & tremens sorbet terram, & contemnit pauorem. Hic est Equus quem *Iob* describit, qui infælicitatis & calamitatis nobis est præsagium, dum se diffundit quasi locustarum cætum super terram. Hunc Neptunus nunc videtur exsuscitasse, simulque Pelagum suum mirè conturbasse, Illud modò canere cogimur cum lessu & gemitu hoc procelloso & turbulento Cælo:

Prouerb. 30.

Psal. 92.

Iob 39.

Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum!
Iam iam tacturos sidera summa putes.

Quanto

Quanto diducta subsidunt aquore valles?
Iam iam tacturas tartara nigra putes.
Rector in incerto est, nec quid fugiatuè petatuè
Inuenit, ambiguis ars stupet ipsa malis.

Qui præsunt, & regunt, ita quandoque exagitantur à fluctibus, vt illico videantur ascendere vsque ad Cælos, & mox descendere vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescente, sapientiàque vel deuoratâ vel emotâ. Tu qui regis Israel intende, & effice vt qui hactenus *In freto viximus, moriamur in portu vt* aiebat quidam sapiens. In bellorum turbido freto nostra ætas maxima ex parte detrita est, lætum celeuma decantaturi ad portum pacis adspiramus. Tu exaudi populum tuum de fluctibus clamantem caliginosis: *Qui micantes stellas Pleiadas coniungere potes. Qui facis Arcturum & Oriona & hyades, & regis interiora Austri.* Nonne tu Dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas in brachio virtutis tuæ? Nos igitur in hoc exaudi, qui non despicis clamantes ad te, & post tempestatem tranquillum facis. Tu noster Æolus, qui ventos promis, condis, & recondis. Tu noster Neptunus, qui vndis praees, suscitas, & compescis; & post prolixam procellarum malitiam, inducis mari malaciam. Tu ille es, qui in monte *Oreb*, ventum olim validum suscitabas, conterentem petras, & post modum terræ motum horrisonum subuertentem colles, ac deindè ignem circumquaquè crepitantem; sed deniquè in sibilo auræ lenis tuam exhibebat vocem, & suauisonam præsentiam. Hanc optamus, amplectimur, ambimus pijs votis, post ventum & terræ motum ac Ignem, quibus iam diu territi sumus & contremuimus. Tu noster Apollo, quem lubenter intuemur, quietè sedentem cum Lauro & radiante Corona, ac hoc situ benignè nos intuentem, & Orbi quietem dare paratum. Tu noster Pan, id est Pastorum Deus, Pastorum Maximus, ad quem clamamus *Qui pascis Israel intende qui deducis velut ouem Ioseph.*

3. Reg. 19.

SECTIO SECVNDA

Verſ. I. *Qui deducis velut ouem Ioseph.*

Explicat quæ sit illa Ouis, Quis Pastor.

Sacris in litteris nomine Pastorum qui oues ducunt & reducunt, pascunt & dirigunt, non solum qui regimine Ecclesiastico fulgent, designantur, sed & qui politico; Reges scilicet Principes, Magistratus, & alij populi Duces. Etenim arti Pastoritiæ non absimilis esse debet Politica potestas, Regia sollicitudo. *Ars illa, inquit Philo, prælu-*

dium est quoddam ad Regnum: Ideò & Homerus Agamemnonē Regem, vocitabat, *populorum pastorem.* Et quis ignorat Dauidem à pastorali arte & baculo tanquam præludio euectum esse ad Regnum & Sceptrum! *De post fœtantes accepit eum, Pascere Iacob seruum suum & Israel hereditatem suam. Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Principes igitur Pastores sunt, & sub illis Deus *posuit sicut Oues familias.* Sed quandoquè in directione & regimine deficiunt, ideoque cælitus cum grege plectuntur. Propterea Hieremias lugubrem hanc vocem ad eos dirigit. *Vlulate pastores, & clamate, aspergite vos cinere, quia completi sunt Dies vestri. Subdit post modum vates. Vox clamoris pastorum, & Optimatum Gregis vlulatus; quia vastauit Dominus pascua eorum, & conticuerunt Arua pacis à facie furoris Domini.* An non & id nostris cernere licet & oculis? An non *Arua pacis*, hoc est fertilissima & amænissima, iamdiu iacuere mæsta & desolata, & conticuere, nullum producentia fructum plurimis in prouincijs. An non luget alma Ceres, & conticescunt Arua, aratra, & falces, dum arma, gladij, hastæ, & faces omnia depopulantur, Marte & Vulcano vndiquè furente & oberrante per agros? An non illud Prophetæ multis in locis verum est. *Depopulata est Regio, luxit humus, confusi sunt agricolæ, vlulauerunt super, frumento & hordeo, quia perijt messis agri?* Certe Ruricolæ vix quippiam in Aruis mermes suo possunt agere vomere, quin mox à milite vastante vel extorquente cogantur euomere. Sic, sic nimirum pascua, & *Pacis*, siuè prosperitatis, *Arua* vastantur, non sinè mœrore & gemitu Populorum, Colonorum, & Optimatum gregis.

Psal. 77.

Hier. 25.

Ioel. 1.

Sed agnoscant hi omnes Supremum Gregis Pastorem, & Pastorum Principem; qui dicit per suum vatem Zachariam, se & Pastoris habitum assumpsisse, & officium exercuisse, dum suo alij deessent officio. *Assumpsi mihi,* inquit *Duas virgas; vnam vocaui* DECOREM, alteram *Vocaui* *FVNICVLVM, & paui gregem.*

Zach. 11.

Quæ sunt Duæ Virgæ istæ siuè Duo Baculi Pastorales, non sinè mysterio ab eo sic electi, ab eo sic vocati; Virga vocata DECOR, Designat regimen amoris & clementiæ, per monita, beneficia, promissa & solatia. Quod quidem diuinum regimen imitari debent Principes, vt subditos regant amore, clementia, humanitate, beneficijs & promissis, ac præmijs. Hoc est regimen maximè decorum, elegans, speciosum & gloriosum. Altera Virga vocata FVNICVLVS, designat regimen terroris & seueritatis, quo vtitur Deus quando non proficit Virga amoris & lenitatis. Ipse igitur est Pastor ille ad quem vox ista dirigitur. *Qui regis* (Hebraicè Qui pascis) *Israel intende.*

Qui Deducis velut ouem Ioseph.

SEnserunt qui sic inclamant Virgam seueritatis & terroris, Virgam funiculi & flagelli percutientis: ideò recurrunt modò quasi calcaribus & stimulo adacti ad Virgam Decoris & Amoris, piam querimoniam apud Pastorem supremum deponentes. Quasi & dicerent. Tu ductare soles populum tuum (qui Israel nominatur & Ioseph, à Ductoribus illis & Pastoribus inclytis olim à te electis) tanquam gregem mansue-

mansuetissimum,imò tanquam ouem vnicam,quam vinceè diligis,suauiter dirigis,solerter custodis. Nos sumus Ouis illa paruula per Nathan Dauidi repræsentata,quam emisti,nutriuisti,quæ creuit apud te,cum filijs tuis de pane tuo comedens, & de calice bibens,ac in sinu tuo dormiens instar filiæ.Sed iam videris nos auersari & repellere,oculosque & aures claudere,dum direptioni expositi sumus , & concussionibus obnoxij.Ideo ploramus coram te,& profitemur nos velle tuæ voci,imperio , nutui obedire,concordi mente. Ergo nos rursus suscipe tanquam *Oues pascua tua & manus tuæ*:rege,& pasce,ac recalcitrantes vel dispesce,vel compesce. Eheu quam ingemiscimus dum videre cogimur quod Principes gregis tui facti sunt modo velut Arietes cornibus sese mutuò ventilantes,& inuicem arietantes , inuicem luctantes cum totius gregis detrimento & luctu,ita vt & illud adimpleri videamus:*Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt*.Imo multi è grege facti sunt velut Lupi vespertini (qui alijs dente & rictu atrociores sunt) & quasi Hyænæ dispersi sunt ad prædam.Irruunt in gregem tuum Lupina feritate non inuenientes pascua,teque Summum Pastorem gregis aspernantur.Heu quamdiu gemere cogemur cum Propheta , & hæc querula ad te verba dirigere.*Vsque quo Domine clamabo,& non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem,videre prædam & iniustitiam contra me. Quare facies homines quasi pisces maris?* Lacerata est lex,inualescente militari Licentia & insolentia,& omnia depascente & diripiente,etiam sanctuaria tua,& Ouilia sacra; vt meritò vespertini Lupi nomine repræsentetur militis vndiquè grassantis ad prædandum velocitas & ferocitas.Vtar verbis Poetæ:

1. Reg. 1

Hier. 4

Abac. 1

Abac. 1

Nam veluti pleno Lupus insidiatus Ouili,
Cum fremit ad Caulas ventos perpessus & imbres
Nocte super media,tuti sub matribus agni
Balatum exercent;ille asper & improbus ira
Sæuit in absentes:collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & sicca sanguine fauces.

Eheu,non solum à Martis & Bellonæ alumnis,sed & iam ab hæreticis,tãquam Lupis vespertinis,Grex Domini diuexatur ac dilaceratur.Hi enim tanquam Lupi famelici & hiantes circumeunt caulas Ecclesiæ,vt fideles ex ijs auellant & perdant.Cætus suos sub vesperam celebrant,vt tenebras offundant, & prædam capiant in tenebris ; & quando cum pelle ouium qua se tegunt nihil se perficere vident , tanquam aperta facie , apertisque latrocinijs & cædibus. Catholicorum Ditiones , Prouincias , Regna inuadunt , & depopulantur . O miseram & lugubrem gregis sortem , *Tu qui pascis Israel , intende , qui deducis velut ouem Ioseph* , hæc omnia inspice, & præ-

& prospice. Hoc rogamus supplices, vt gregem tuum Pastor Æterne non deseras, sed continua protectione custodias, & per Angelos tuos & per Apostolos tuos Pacis Legatos, in Pacem dirigas, & in Pace conserues; vt iisdem Rectoribus gubernetur quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores. Hoc petimus, hoc repetimus, omnibus animi votis.

VERSVS SECVNDVS

Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim Beniamin & Manasse.

SECTIO TERTIA

Explicat hac Sectio quis ille sit qui sedet super Cherubim, quique manifestari debet.

QVis est ille qui inuocatur tanquam sedens super Cherubim, nisi is qui iussit olim in Tabernaculo sancto fabricari Arcam fœderis cum Propitiatorio ex quo responsa & Oracula dabat populo suo? Quis alius quam qui ibidem duos Cherub ex auro puro formatos hanc Arcam & Propitiatorium voluit sustentare, obumbrare, protegere, quasi sedem Dei; speciemque quandam Solij & Throni curulis suo situ & forma exhibere?

Hac de re dicitur. 3. Reg. 8. *Tulerunt Arcam fœderis Domini sedentis super Cherubim.*

An non meritò iste inuocandus, timendus, adorandus est, qui sedet in solio sublimi, & habet sub se Arcam clausam, quasi scabellum pedum suorum? In illa autem continetur *Virga*, qua impios compescat & terreat, *Manna dulce*, quo pios reficiat & præmijs afficiat: *Liber Legis*, iuxta quem omnes, iudicandi sunt; adorent ergo probi eum, & timeat. An non & illum adorant Cherubim, & reuerentur concordi oculo, concordi amore & timore, vultibus ad se mutuò conuersis, id ipsum docentes nos concordi & vultu & mente peragere? Vtinam hoc tempore calamitoso Rex Christianissimus & Rex Catholicus, Reges Duo Inclyti & Augustissimi, per Antonomasiam his Titulis decorati, fiant Duo Cherub, stipantes & fulcientes Thronum Dei, Arcamque fœderis Domini, super quam quietus sedet; illamquè contemplantes, inito fœdere sacro, vultus pacificos ad sese mutuò conuertant, iam diu auersos; sicquè adimpleant quod Lectio Hebræa emphaticè dicit de duobus Cherub. *Et facies Viri versa erat ad fratrem suum.* Exo. 25. Ita sanè fæliciter Tabernaculum fœderis, (hoc est Ecclesiam Dei, & Arcam Testamenti) fulcirent & protegerent, quasi duabus Cherubicis alis Potentiæ & Sapientiæ suæ. Hoc meum, hoc omnium piorum votum est. *Tu qui sedes super Cherubim,* huicce voto nostro pio intende, & effice tua pietate & benignitate superna, vt tua in illis gloria fiat orbi manifesta.

...vm. in ...5. Exod.

Sed

Sed vlterius,si quis scire velit,quis sit qui inuocatur sedens super Cherubim, ei edisserat Sanctus Gregorius,interpretans nomen istud Cherubim,*Multitudo & Plenitudo Scientiæ*,Hæc sunt eius verba.*Illa summa Angelorum agmina ideo Cherubim sunt vocata,quia tanto perfectiore scientia sunt ornata,quantò claritatem Dei viciniùs contemplantur , vt secundum creaturæ modum,eò ampliùs omnia sciant,quò viciniùs visione Conditoris sui per meritum Dignitatis appropinquant.In istis ergo spiritibus sedere dicitur Deus , quia omnis scientia & cognitio creata ei subditur qui scientiarum Dominus est.*Sic attende hic quod Dominus sedere dicitur super Cherubim,omnia dirigens sua & sapientia & Prouidentia ; & ordo iste Angelicus illi est instar Currus Regalis ac gloriosi,bellicosi & triumphalis, quo vehitur,sustinet & moderatur totum Orbem:Hoc enim facit *Plenitudine Scientiæ*, per suos tamen ministros & Legatos, à scientiæ claritate inclytos,& Cherubim,ideo nominatos.

Hi igitur sunt Currus ille super quo sedet Dominus in Sancto Sanctorum. Hic est currus ille de quo scriptum est : *Currus Dei Decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis,in Sina in sancto.*Nos & illo regi,protegi,ac euehi debemus, ac illi consociari cum lætitia:interim cum mæroreab illo abstrahuntur multi, & discordes distrahuntur sponte sua dum *Cadunt à latere mille,& Decem millia à Dextris*,furore bellico illos ab[illegible]lente,& nemine cõsolante.Tempore enim hoc Martis & Bellonæ videmus illud verum esse.*Dilatauit infernus os suum,& descenderunt fortes eius,& populus eius,& sublimes gloriosiquè eius ad eum.*Eheu, & hoc cum mærore dicimus,cum mærore commemoramus, quia & salutem corporum ac animarum perire cernimus.

Ps. 6

Isa 5

Deniquè , qui nosse plenius desiderat quis rursus sit ille qui sedet super Cherubim!meminerit gloriosi & fulgurantis illius Currus apud Ezechielem descripti , qui vocatur Currus Gloriæ Domini, quem circumstant & trahunt quatuor Cherubini specie Animantium Hyerogliphicorũ & Mysticorum designati;quibus etiam significantur Reges & Principes,qui ad hoc à Deo destinati sunt & Sceptro ac Diademate coronati , vt superni Regis gloriam & Currum promoueant,cunctis viribus & animis,vno humero,vno corde,vna voce,vno robore:*Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ,& cantent in vijs Domini quoniam magna est gloria Domini.* Sic inclamat Rex & Propheta. Verum nonne dum Reges inter se diffident,Domini gloriam currumquè negligere videntur,& in diuersa aduersaquè trahere , vt proprium Currum propriamquè gloriam promoueant & adaugeant,zelo vel cupiditatis,vel æmulationis? An sic ego Iudicem me & Arbitrũ constituo? Absit.Neminem accuso, neminem excuso,aut iudico. Hoc interim generaliter dico,cupiditatem vel æmulationẽ,sæpe esse radices, & infælicia germina dissidiorum & Bellorum.

Ps. 137

Non scrutor corda Regum,nec mysteria consilij eorum;nec cupio ego audere;sed cordi recondant quod verbis apertis monuit in Catholica sua Epistola Iacobus Apostolus,primates & priuatos sic alloquens : *Vnde Bella & lites in vobis? Nonne ex Concupiscentijs vestris? Concupiscitis & non habetis.Occiditis,& zelatis,& non potestis adipisci: Litigatis & belli-*

Iac. 4.

& belligeratis. Quid hoc eloquio sacro luculentius? Disertè etiam id describit inter antiquos Sapiens Seneca, Epistola 94. vbi sic eloquitur. Nec Cneio quidem Pompeio externa inire bella aut Domestica, virtus aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsæ, modò in Hispaniam & Sertorianam, modò ad colligendos Piratas ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? Quid in Septentrionem? Quid in Mithridatem & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido regnandi, cùm sibi vni parum magnus videretur. Quid Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & ambitio, & nullus super cæteros eminendi modus. *Vnum ante se ferre non potuit, cum Respublica supra se duos ferret.* An tu Caium Marium cum Theutones Cimbrosquè concideret, cum Iugurtham per Africa deserta sequeretur, tot pericula appetisse putas virtutis instinctu? *Marius ducebat exercitum, Marium ducebat ambitio.* Isti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta conuoluunt, sed ipsi antè voluuntur: & ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoque cum multis ipsi fuerunt mali, pestiferam illam vim qua plerisquè nocuerunt, ipsi quoquè sentiunt. *Non est quod credas quenquam fieri aliena infelicitate felicem.* Hactenus Seneca. Quid elegantius? Quid verius? Audiant hæc Christiani Principes, arrecta aure, erecta mente: & non patiantur quolibet se consilio & turbine, & vento & [illegible]e inuolui ac conuolui; aut specie tantum electri & auri decipi, vt impetum sequant[illegible] ducentem in præceps. in anfractus & voragines bellorum inextricabiles: Sed cælesti voce moniti, adiungant se ad Currum hunc, & ad Rotas in quibus est spiritus vitæ, non impetus Mortis, ac sic læte *cantent in vijs Domini quoniam magna est gloria Domini.* Vtinam (iterum repeto) sublimis Imperij Aquila, & Homo Liliger, Leoquè Belgicus & Iberus, tandem audiant vocem exhortatoriam & sublimē INNOCENTII PONTIFICIS, tanquam Bouis seduli & fortis, laborantis & mugientis in Agro Domini, & auxilium implorantis: Sicquè vnanimes & pacifici, supponant humeros ad vectandum hunc Currum Gloriæ Domini. & in Infideles vsque Nationes prouehendum; absquè dubio, multos haberent gaudij socios ac sequaces, & impleretur illud coram oculis nostris: *Currus Dei Decem millibus, multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in Sancto.* Sic & ipsi forent Cherubici illi Heroes, Sapientia & Potentia præditi, & Gloria inclyti. Hoc rursus votum meum est, & omnium piorum, TU QVI SEDES SVPER CHERVBIM, audi illud, & propitius exaudi: *QVI REGIS ISRAEL INTENDE.*

(*,*)

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Explicat, Qui sint Ephraim, Beniamin, & Manasse.

VERSVS SECVNDVS.

Manifestare coram Ephraim, &c.

HIc & vlterius inquirendum, quinam sint *Ephraim, Beniamin, & Manasse*, corā quibus manifestari debet QVI REGIT ISRAEL. Nouimus illas tres Tribus, & illos tres viros, sed paulò altius res repetenda est, vt plenius agnoscamus. Olim cùm Terram à Deo promissam Israheliticæ Tribus peterent per desertum & solitúdinem, sub vexillis quatuor castra metabantur. Iudæ Tribus Regia Orientalem plagam tenebat, cum Tribu Zabulon & Tribu Isachar. Meridianam protegebat Tribus Ruben, cum Tribu Simeonis ac Tribu Gad. Aquilonarem tuebatur Tribus Dan, cum Tribu Azer & Tribu Neptalim. Occidentalē occupabat Tribus Ephraim cum Tribu Beniamin & Tribu Manasse. Sic erat Castrorū Quadrata figurā, sub Vexillis primarijs quatuor ordinata. Ecce, Trinitas vndique & Vnitas in Tribubus adunatis. Ecce iterum Quatuor nostri Cherubini in vexillis Quatuor. Nam primum Vexillum Iudæ, pro insigni effigiem LEONIS præferebat viridis, vt aiunt, coloris, quia de illo dictum erat. *CATVLVS LEONIS IVDA, ad prædam ascendisti fili mi. Accubabit vt LEO & quasi LEAENA, & quis suscitabit eum?* Gen. 48. Alterum Vexillum Ruben, effigiem gerebat HOMINIS, cum Mandragoris, eratque Coloris rubei, quia Ruben primus fuit Homo ex Iacob natus, & filius eius primogenitus. Vexillum Dan gerebat AQVILAM gestantem Colubrum vnguibus arreptum, eratque variegati coloris, ex albo & rubro, vt multi Interpretes autumant. Quia cum eum puduisset serpentis, de quo prædixerat Iacob: *Fiat Dan Coluber in via. Cerastes in semita*, mutauit illud in Aquilam generosam & gloriosam, Colubrum vnguibus arripientem. Denique; Vexillum EPHRAIM erat coloris aurei, effigiem BOVIS gestans, quia filius fuit Ioseph, de quo scriptum erat Deut. 33.

Quasi primogeniti Tauri pulchritudo eius.

Ita loquuntur passim Interpretes de Bellicosis his Vexillis. Sed hoc propius ad propositum nostrum, quod Tres istæ Tribus, EPHRAIM, BENIAMIN, & MANASSE, Castra metarentur ad Occidentalem plagam, iuxta Arcam, quia Arca

erat in medio Castrorum. *Num. 2.* Ideoque cum Arca fœderis, & Deus Arcæ insidens, semper immediatè versaretur antè has tres Tribus, id hic reputatur tanquam specialis erga eas fauoris indicium. Quapropter inuocatur Dominus, vt qui illis semper in deserto præsens fuit, ita nunc se præsentem Ecclesiæ suæ, per Tribus illas designatæ, speciali ope & manifestatione exhibeat.

Vlterius hac in re progrediens S. Bernardus, & ad hoc ipsum alludens: **MANIFESTARE CORAM EPHRAIM, BENIAMIN, & MANASSE**, sic disserit: *Ego puto tres illos Viros significare illos qui saluantur, quos alio nomine vocat Propheta*, NOE, DANIEL, & IOB. *Per hos Triplex in Ecclesia Gradus ac Ordo designatur. In* NOE *Prælati & Rectores. In* DANIELE, *Continentes ac Virgines. In Iob, Coniugati ac Populares.* Omnes hi in caligine tot malorum inundantium nonnè conturbati sunt, commoti sunt, timor apprehendit eos & dolores quasi parturientis? Tu Domine coram illis MANIFESTARE tanquam coram EPHRAIM, BENIAMIN, & MANASSE. Tu tenebras discute, & tuæ Lucem benignitatis ostende: sicque *Mundi cursus tuo ordine pacificè nobis dirigatur, vt Ecclesia tua tranquilla Deuotione lætetur.* Quid vltra dicam, Tu qui habitas in Sancto Sanctorum, laus Israël: Tu es Deus absconditus, sed Saluator: Tu es Deus Scientiarum, cui præparantur cogitationes: Tu quando vis Arcus fortium confringis, & infirmos accingis robore. Tu Dissipas consilia Principum, ac reprobas Consilia populorum, Consilium autem tuum manet in æternum. Tu, inquam, respice nos, nec despice. Respice populum tuum Christianum, populum quem elegisti in hæreditatem & peculium, & pro fauore effice, vt fiat EPHRAIM, id est, *Crescens & fructificans*, vt fiat BENIAMIN, hoc est, *filius Dexteræ & Lætitiæ*, qui diu fuit *Benoni*, id est filius Doloris & mœstitiæ. Denique vt fiat & MANASSES, id est *obliuiscens*, vt possit dicere cum Ioseph: *Obliuisci me fecit Deus laboris mei.* Fac vt illud Job ei etiam competat. *Miseriæ obliuisceris, & quasi aquarum quæ præterierunt non recordaberis.*

Gen 48.
Iob. 11.

Hæc omnia fient, si AQVILA cum pennis suis, si HOMO cum Mandragoris vel Lilijs, LEO cum crispantibus iubis, BOS cum firmo pede & forti vngula, simul stent, & arcam circumstent DOMINI, circa illam Castra metantes, & Vexilla figentes, ac pro eius gloria dimicantes. Fiat Domine, fiat. Et dixit omnis Populus, FIAT, FIAT.

VERSUS TERTIVS.

Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos.

SECTIO QVINTA.

Explicat, quid sit in Deo excitare suam potentiam.

Deus

DEus obdormire dicitur sacris in litteris, quando impios sinit pro libito agere, piosque concutere, & agitare; & quando anxijs opem valido clamore postulantibus tardat subuenire. Est enim tunc non absimilis ipse soporato, oculos claudenti, aures obturanti & obduranti, manus in sinum conserenti, & fores obseranti, ne quiescens in conclaui & cubili interturbetur. Indè, illa vox afflictorũ tuorũ gemebunda: *Exurge quare obdormis Domine quare obliuisceris inopia & tribulationis nostra? Exurge & ne repellas in finem. Humiliata est in puluere anima nostra, exurge adiuua nos.* En eadem vox *Exurge* triplicata non sinè mysterio ad inuocandam Trinitatem, & ad impetrandam misericordiam, vt nostræ tandem subueniat miseriæ. Quid aliud sonat vox ista, & cur emittitur cum lachrymis, nisi vt in cœlum ascendant, & *exclamatio earum, sit super deducentem eas*, vt excitetur dormiẽs Dominus, & illas non despiciat? Non enim aliud significat vox illa, *in aures Domini Sabaoth* penetrare peroptans: Quam diu, quam diu heu, quã diu, nobis ad te clamãtibus, ad te humili oculo aspiciẽtibus, auxilium tuum deposcentibus, claudes oculos, aures, manus instar soporati & impotentis, quasi sis omniũ quæ nos & te concernunt oblitus? Eccè etenim vita nostra allisa est pulueri, propinqua est sepulcro, nec profundius deijci ac affligi possumus, & tu dormis nec respicis? Huius rei symbolũ in euãgelica historia præcessit: Attende. Dormiebat Dominus, attestante Euangelista, & super Ceruicali recũbebat in puppi, interim Nauicula operiebatur fluctibus, cõtra eam tunc conspirantibus ventis procellosis. Neptuno & Æolo in eius subuersionẽ, si ita dicere licet, suscitatis. Necesse ergo fuit Discipulos remigantes eum pro clamore excitare. *Domine, salua nos, perimus.* An non hic vides speciem Dei dormientis, dum nostris afflictio incumbit ceruicibus.

Psal. 43. *Mat. 8.*

Veruntamen etsi similis dormienti videatur, quia non protinus vocatus opem fert, nec emissas ad se flebiles voces anxiorum exaudit, *non tamen dormit, qui totus est mens, totus est lux, totus est oculus, omnia contemplans, omnia audiens, omnia sciens*, vt loquitur *S. Clemens* l. 7. Stromatum Semper virgam manu gestat quæ vigilans est, vt propterea dixerit Propheta Hieremias in cœlum iussus respicere. *Virgam vigilantem ego video*; Siue vt alia Lectio habet: *Virgam oculatam ego video.* Quæ est illa Virga vigilans & oculata, nisi Sceptrum Dei quo omnia moderatur? cui Sceptro & oculus inest, qui nunquam clauditur, quo contemplatur bonos & malos, potenter hos compescens, benignè istos regens, *attingens à fine vsque ad finem fortiter, disponens omnia suauiter.* Quid ergo dicemus de illo, nisi idem quod Rex & Propheta: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Quid ita! Quia nõ dormit, neq; dormitat, qui impugnat Israel. Ipse semper vigil, pro suis excubias agit, quia *Nisi custodierit ciuitatẽ frustra vigilat qui custodit eam.* Ipse si dormit, tanquam Leo dormit, qui apertis oculis dormire dicitur; ideoq; tanquam fidus custos & excubitor, & vigilantiæ symbolum, Palatiorum foribus adpingitur. Dormire & oculos claudere videbatur Christus Dominus in nauicula; sed cor eius & affectus vigilabat, eratque cum Discipulis anxijs, quamuis

Hier. 1. *Sap. 8.* *Psal. 120.*

uis & eorũ voce voluerit excitari, vt imperaret ventis & mari. Sic & modò, à nobis procellosis bellorũ turbinibus exagitatis & concussis, videtur belle excitari, vt sua potenti voce imperet ventis & mari, suaq; potẽti manu eruat nos de periculis. Nec enim animũ despõdemus, licet diu inclamauerimus; quia scimus ab ipso iussũ scribi & exarari in tabulis grãdiori charactere, vt omnis qui legerit percurrat, nec hæsitet.

Abac. 2. SI MORAM FECERIT, EXPECTA EVM, QVIA VENIENS VENIET, ET NON TARDABIT. Scimus & Regem Prophetam de illo istud cecinisse.

Psal. 39. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de Lacu miseriæ & de luto fæcis.* Ideò ergo & nunc inclamamus, ardenter expectantes & expetentes eius auxilium.

Excita Potentiam Tuam, & veni, Vt saluos facias nos.

Psal. 45. Tu Deus es conterens bella, Dominus est nomẽ tuum. Arcum conteris & confringis arma, scuta comburis igni, & sic *exaltaris in gentibus, exaltaris in terra.* Da ergo nobis quam mundus non potest dare PACEM, auferens bella vsque ad finem terræ. PACEM, quam potentes hactenus nolunt exulem ab Astris reuocare, tua tu benignitate & potẽtia digneris reducere, & in ius nobis postliminij restituere. POTENTIA tua ac BENIGNITAS hactenus nobis obdormisse visa est, dum in angustijs agimus, & varijs iactamur agitamurque malis, & tu dissimulas nec manũ porrigis. Ad te tamen clamat populus tuus in tenebris agens & caligine, in illuni nocte, tanquam ad eum qui eius suscepit curam & custodiam. Idem clamat quod olim populus ex Seir: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Nec cito respondes, quasi sopore depressus, & latens in cubili tuo circa cardines cæli, *Vbi nubes latibulum tuum.* Itanè dormit, aut dormitat, qui custodit Israel? Nunquid non exurgens misereberis Sion?

Isaiæ 21. Nunquid *tempus miserẽdi eius?* Nunquid *venit tempus? Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.* Exurge iudica causam tuam. Agitur enim de causa te concernente, de Te agitur & de nobis; de negotio gloriæ tuæ, & salutis nostræ decertatur & contenditur, te quasi indormiente. *Exurge*, tanquam *potens crapulatus à vino*, & percute aduersarios tuos dans eos in opprobrium.

Quid plura! Excita te, excita cincinnos capitis tui, & crispantẽ cæsariem potentiæ tuæ; Excita oculos Sapientiæ ac Prouidentiæ: excita brachium fortitudinis: excita & extende manum benignitatis, excita pedes misericordiæ, & VENI vt saluos facias nos. Accurre, occurre, succurre nobis in hac caliginosa ac procellosa malorũ nocte, in qua cogimur clamare. *Domine, salua nos, perimus.* Veni ad nos excitatus, aut iube nos venire ad te etiam super aquas; quia in medijs vndis agimus sine luce, sine Duce; nec euadere speramus, nisi te docente, nisi te ducente. Ergonè adhuc diu durabit hæc nox bellorũ & malorũ inundantiũ adeò profunda ac tenebrosa? Ergonè semper luctabimur tecũ in tenebris, flebilibus nostris votis & voce mœsta; erimusq; instar

Iacob

Iacob luctantis cũ Angelo tota nocte? An non veniet tandé Aurora rutilans Pacis toties optatæ, quæ est coniuncta cum benedictione serena, mæstitiam fugante, lætitiam reducente cum lucis amænitate? Quare dixerunt nobis toties, PAX, PAX, & non est PAX; sed nobiscum ipsi luctamur in caligine, clausis oculis digladiantes Andabatarum more? Iterum repeto, EXCITA POTENTIAM TVAM, ET VENI, ô Rex gloriæ, Deus virtutum, Dominator exercituum, quia tibi imperatur à Patre. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, vt scilicet dissipes timores nocturnos, vt vlciscaris de inimicis tuis, & inimicis Pacis; vt potenter arguas, vt cædas contradicentes tibi; vt conserues rerum omnium iura; sicque efficias, vt omnia sint in Pace. An non ideò post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labijs, post benedictionem æternæ hæreditatis, Tibi à Patre datus est *Gladius fortitudinis*, vt omnia compescas aduersaria, vt omnia componas impacifica, vt adornatus & circumamictus specie & pulchritudine PACIS, intendas prosperè, procedas fœliciter, regnes fœlicissime, deducente te mirabiliter Dextera tua? Sic, sic agnoscetur quam verè sit *Virga Directionis, Virga regni tui*; simulque fulcietur & eminebit Sedes tua Regia in Sæculum Sæculi. Sic canit Rex & vates tuus in Sacro Epithalamio, tua depromens & describens encomia. *Psal 44.*

VERSVS QVARTVS

Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam & salui erimus.

SECTIO SEXTA

Explicat quis sit Deus ille Virtutum, & quæ eius facies salutifera.

INtercalaris est hic versus, ideò alijs versibus ter interseritur, & ter cum emphasi repetitur, ad SS.mæ Trinitatis gloriam & ad opem benignam implorandam à CREATORE, REDEMPTORE, SANCTIFICATORE, pro nostra CONVERSIONE, ILLVSTRATIONE, SALVTE. Tria hæc ab illo pendent, qui DEVS VIRTVTVM sacris in litteris, per excellentiam nominatur; & hec primario propter exercitus Angelorum, quibus præest, & cingitur in Cœlis. De quibus scriptum est apud Iob: *Nunquid non est numerus militum eius?* Vtique millia milliũ, & Decies millies centena millia assistunt & ministrant ei. Hoc dicit Daniel, certum numerum non assignans, sed pro incerto & innumerabili illum proponẽs qui hu-

mano more inter maximos censeri potest computus. Per hos Angelos etiam ipse nos regit; vt de virtute in virtutem procedentes, videamus Deum virtutum, Deum Deorum in Syon.

Sed vt plenius edisseramus quid sibi velit ille versus Poetico more intercalatus, & cum energia in eodem psalmo tertiò repetitus, meminisse oportet quid responderit ille qui interrogabatur apud Prophetam: *CVSTOS QVID DE NOCTE? CVSTOS QVID DE NOCTE?* Respondet ipse. *VENIT NOX ET MANE, SI QVAERITIS, QVAERITE CONVERTIMINI, ET VENITE.*

Isaia 21.

Ænigma hic videtur, quod Oedipo egeret interprete, aut potius ipsomet Vate. Si venit nox, quomodo venit mane? Si mane venit, nox præterierit est necesse. Sed idem est ac si interrogaretur ab afflictis CVSTOS ille æternus, qui pro populi sui salute excubias agit: Quid nobis, ô Altissime speculator, à sublimi tua specula omnia peruidente de nostro statu in hac nocte significas? Nunquid non finis adest huius noctis? Viuimusne, an funditus perijmus? Respondet autem ipse. Adhuc tenebræ sunt vos cooperientes, appropinquat tamen crepusculum Auroræ. Si salutem quæritis, & lucem, & PACEM, ab illo quærite qui potest opem ferre, & effugium à malis ostendere: quærite diligenter, & in quærendo perseuerate. Conuertimini ad me, & venite, resipiscite, mores mutate, peccata abdicate, pœnitentiam agite. Sic votis vestris satisfiet; sic inuenietis quod quæritis. Nimirum ad perseuerantiam & tolerantiam excitat, & quærentibus lucem & quietem, spem, animumque addit. Sed quid dicam? Benè, optimè mones, qui nostræ curam geris salutis, & caliginosæ nocti nos circumuoluenti dare finem paras. Verum equidem optamus te quærere, & solerter quidem te quærere, ad te conuerti, ad te venire & te inuenire: Sed onere Babylonis pressi, & angustijs nostræ infirmitatis coarctati, non possumus te quærere, nisi nos quæras; non valemus ad te conuerti, nisi nos conuertas; nequimus ad te venire, nisi ad nos venias; nec te inuenire, nisi nos inuenias. Ergo tu DEVS VIRTVTVM, omnis Deus potentiæ audi nos.

Conuerte nos, ostende faciem tuam.

CONuerte nos, vt verè conuertamur; quære nos vt inueniamur; inueni nos, vt viuificemur & saluemur. *Da cordibus nostris te desiderare, desiderando te quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala nostra redimere, redempta non iterare.* Sic loquebatur eximius Dei Seruus S. Augustinus. Nisi tu Domine conuersus fueris ad nos, peribimus; sed tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te; & conuertemur ad cor, & audiemus te loquentem PACEM super plebem tuam, & super sanctos tuos.

Aug. in medit.

Ite-

Iterum ergo & iterum repetimus. *Conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus.* Ostende faciem tuam, lucidam illam & serenam, quæ omnem fugat caliginem. Quæ lætitiam infundit & salutem, quæ nunquam est sine splendore misericordiæ, nec sine propitiationis optata benedictione. Ostende faciem tuam, & illum vultum de quo canebat Psaltes ad illum adspirans: *Deus misereatur & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Serenum vultum tuum volumus, nō seuerum, de quo idem alibi: *Vultus autem Domini super facientes mala.* Intueri optamus faciem tuam illam alacrem ad fauendum, non illam acrem ad vindicandum, quam sat experti sumus. *Psal. 66.*

Adspiramus & tandem ad amabilem illam faciem, quam votis omnibus optabat Moyses, dum diceret: *Domine si inueni gratiam coram oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Ostende Domine faciem illam, qua saluos facias nos, qui iam diu ostendisse videris humeros & dorsum, aspernando nos. Ergonè erimus de illis de quibus dixisti: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorū?* Absit. Hoc enim minaris eis qui tibi *Auerterunt scapulam, recedentes.* Nos autem conuertimur ad te, vt scapulis tuis expansis, obumbres nobis, ac illustres faciem tuam super nos, & dicimus ex animo idem quod olim Iosepho incolæ Ægypti: *Salus nostra in manu tua, tantum respice nos & læti seruiemus Regi.* Respice in orationem humilium, & non spernas precem eorum. Audi gemitus compeditorum, & solue filios interemptorum. Prospice de excelso sancto tuo; & in terram oculos tuæ pietatis conuertens, effice tādem vt misericordiam tuam cantemus vniti: *In conueniendo populos in vnum: & Reges vt seruiant Domino.* Hoc est votum Prophetæ, hoc omnium piorum votum est, pro quo orat & laborat hic libellus, PACIS LEGATVS, ad te directus. *Exod. 33.* *Ierem. 18.* *Zacha. 7.* *Gen. 47.*

VERSVS QVINTVS

Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem serui tui?

SECTIO SEPTIMA

Explicat quænam sit hæc ira Dei, & quomodo placanda?

DEus licet multis precibus inuocatur, vt veniat & subueniat, vt deiectis manum porrigat opitulatricem, vt afflictis & collisis impertiatur medelam; tamen quandoque sic se gerit, quasi dedignaretur audire orationem seruo-

seruorum suorum; immò velut iratus nonnunquam videtur illam repellere. Id autem fit ob peccata nostra quibus exasperatur. Hinc illa vox apud Ieremiam: *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus; propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi. Pessima plaga tua est, non est qui iudicet*; tanquam Medicus scilicet aut Chirurgus, quo medicamine & malagmate plaga hæc tua curari valeat. Non est Princeps, aut Propheta, qui possit tibi mederi aut succurrere. *Castigatione crudeli*, quasi inimicus, *percussi te.*

Hier. 30.

Hæc dicit Dominus quasi exasperatus; sed postmodum pacificus, promittit se medicum fore, & sanitatem redditurum plagæ pessimæ. *Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te dicit Dominus.* Immò se vindicem pronuntiat erga eos qui plagam inflixerunt: *Qui te vastant, vastabuntur; cunctosq́, prædatores tuos dabo in prædam.* En lex talionis, quam debent timere, qui tot Prouincijs ac Regnis vastitatem inuexerunt, & in prædam dederunt, cum æquas PACIS conditiones promouere & subire valerent. Attendere illud oportuisset. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernêris? Cum consummaueris deprædationem, deprædaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemnêris.*

Ibid.

Isa. 33.

Verumtamen non id, Domine, à te precamur, sed PACEM, & Pacem quidem vniuersam, votis omnibus deposcimus. Quare irasceris super orationem serui tui, qui dixisti per Prophetam: *Indignatio non est mihi?* Et subiecisti cum iustè posses indignationem exerere in populum tuum Domine: *Quis dabit me veprem & spinam in prælio? An gradiar super eam? Succendam eam pariter? An potius tenebit fortitudinem meam, faciet Pacem mihi, Pacem faciet mihi?* Pro hac PACE, & bis repetita PACE, iuuat hoc tempore vniuersis pandere vota, & ad illum tendere manus, qui DEVS VIRTVTVM est, vt eius fortitudinem teneamus, qui Moysi dicebat: *Dimitte me vt irascatur furor meus. Hoc igitur vult illa gemebunda vox.*

Domine Virtutum, quousque irascêris?

QVousquè adhuc iratus & dedignabundus reijcies preces nostras? *Tu repulisti nos & destruxisti nos, iratus es nobis*; sed nunquid tandem misereberis? *Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius quia commota est: Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Satis est Domine, satis est, contine manum tuam percutientem, & exhibe blandientem. Nescit ira tua progredi, nisi vt misericordiæ viam pandat, incipit ira sæuiens, vt subsequatur misericordia parcens. Repellis, destruis, commoues orbem & conturbas, vt inuocetur & veniat clementia tua. O ira misericors! O salubris indignatio, qua sic irasceris vt subuenias, sic minaris vt parcas, sic aufers vt restituas, sic tradis vt eripias, sic destruis, vt munias, sic abijcis vt recipias. Hoc nimirum est quod Deo dicebat Propheta Abacuc: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Ideò rursus

Psal. 59.

Abac. 3.

alibi

alibi euigilans nocte David, antequam excubiæ militares vigilare inciperent, secum multa voluebat in silentio, considerans calamitates & pericula populum Dei affligentia. Audi ipsummet. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Quare non est locutus? Quia admirabatur iustissima iudicia Dei. Tandem post multam reuolutionem cordis sui sic se alloquitur. *Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suã abscondet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Attende quot verbis non sine emphasi idem repetit, in exercitatione amara mentis & cordis. Nec enim aliud vult dicere: Nonne tandem Deus placatior nobis reddetur, & iram suam cõuertet in misericordiam? Postmodum subdit: *Et dixi. Nunc cœpi. Hæc mutatio Dexteræ excelsi:* Quasi dicat. Post longam anxietatem & molestam meditation em cœpi tandem respirare, cœpi & meliora sperare, proposui & vitam commutare, & melius sapere. Vt & Deus dexteram suam commutaret in meam & populi prosperitatem, & sinistram auerteret, qua iam diu aduersa infligens, & infausta, plebem suam afflixerat & percusserat.

Psal. 76.

Hæc est mutatio Dexteræ excelsi, qua ab anxietate in spem nos commutat, dum & nos commutamur ab iniquitate recedentes, ad eius pietatem accedentes, Ideò hic Psalmus Septuagesimus nonus, cuius morali interpretationi inhæremus, in inscriptione habet hunc Titulum.

Pro his qui commutabuntur.

Alia lectio habet. PRO LILIIS. Pro his scilicet qui lolia antè erant nigricantia in agro mundi senticoso, sed fœlici commutatione postmodum Lilia fiunt candidæ in agro Domini amœno. De quibusdam dicit cum querimonia Psaltes. *Non est illis commutatio.* & quia non est eis commutatio à praua via & vita ad meliorem frugem, ideò sub prælo adhuc teruntur & flagello, vt tandem commutentur & conuertantur, & excussis paleis frumenta inueniantur.

Hos qui non commutantur in melius, aduersis licet fracti & moniti, deflet Vrbanus Octauus Pontifex, in oratione à se edita ex S. Augustino hisce verbis: O Domine peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus; in flagellis tuis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur. Vita in dolore suspirat, ac in opere se non emendat. Si expectas, nõ corrigimur; si vindicas, non duramus. Si ferias, clamamus vt parcas; si peperceris, iterum peccamus vt ferias. Si extenderis manũ, facienda promittimus; si suspenderis gladium promissa non soluimus. Hæc Pontifex ad Deum in tribulatione dirigens. Adijcio hic & ego concludens hunc versum: Habes Domine confitentes reos, & agnoscentes quod iustè eos premis & perimis: illos commuta

tuis flagellis, adimpleque illum Titulum Psalmi tui. PRO HIS QVI COMMVTABVNTVR. Hac enim commutatione commutabis & manus tuas, vt illis cancellatis, instar Iacob, benedictionem duplicem nobis impertias; & non solum iram auertas, sed etiam gratiam consolationis infundas, *donans lugentibus coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*. Ita fac Domine propter te, propter nomen tuum, propter gloriam nominis tui: *Expectatio Israel, & Saluator eius in tempore tribulationis*. Nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.

Isa. 61.

Hier. 14.

Claudat hæc omnia pia vox Ecclesiæ, plerisque in Templis Belgicæ, lugubri sono expressa, quasi gemitus piæ Columbæ filios suos adhortantis alternis Chori modulis.

Processionale Mechliniense feria 3. Rogation.

Clamemus omnes vna voce, Domine miserere
Amara nobis est vita nostra, Domine miserere
Bellis attriti, penè consumpti, Domine miserere
Curuamur peccatis, opprimimur plagis, Domine miserere
Delicta dele, pacem concede. Domine miserere
Excelsus respice, pius indulge, Domine miserere
Flagella remoue, Pacem tribue, Domine miserere
Gemitum respice, pius exaudi, Domine miserere

VERSVS SEXTVS

Cibabis nos Pane Lacrymarum & Potum dabis nobis in Lacrymis in mensura.

SECTIO OCTAVA

Agit de illis qui Lacrymas fuderunt ob afflictionem publicam.

NOn defuerunt omni sæculo, qui publicas calamitates, luctu, lamentis, lachrymis prosequerentur, ex commiserationis affectu, quasi Heracliti à Deo ad id sele-

selecti. Talis fuit Isaias Propheta, qui iussus est à Domino Ciuitatem triduo obambulare nudus & Discalceatus facie luctuosa, & pedibus sordidatis, vt portenderet hoc habitu ignominioso & prodigioso, superuenturas bellorum clades & vastitates. Talis fuit & Michæas qui prophetiæ suæ exordio sic intonat: *Vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut Draconum, & luctum sicut struthionum, quia desperata est plaga, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* Prænidebat & plangebat nuditatem & ignominiam populo suo spoliato infligendam, cum amarissimis cladibus & plagis. Talis deniq; Heraclytus fuit Ieremias olim, qui cap. 9. sui vaticinij sic inclamat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymarum fontem? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Hi omnes dicere poterant: *Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* An non & ipse Christus videns Ciuitatem, & imminentia ei mala præuidens, amarè fleuit super illam, & dixit ingemiscens: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi?* Sic & Sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista & Propheta, relegatus in Insulam Pathmos, describit calamitates futuri æui, & maximè extremi, & illas deplorat, exhibetque nobis deplorandas. Sed veniamus ad historias Ecclesiasticas. S. Augustinus Hypponensis Episcopus irruentibus in Africam Vandalis & Hypponensem Ciuitatem obsidentibus flebat amarissimè calamitates populi sui, & imminentia ei mala. Vnde petebat à Deo, ardentibus votis lachrymisque calidissimis, vt hæc mala auerteret, vel ipsummet ex hoc calamitoso sæculo eriperet, ne cogeretur videre tot mala gentis suæ, tot ærumnas, tot infelicia belli barbarici germina. Quod & cœlitus concessum fuit; nam post tres menses obsidionis, in quibus lachrymæ fuerant ei die ac nocte, Creatori spiritum reddidit. Sic & S. Seruatius Tungrensis Episcopus ordine Decimus, cum Hunni in Gallias irrumpere cœpissent, commiseratus populi sui, cui & inundantia mala præ foribus erant, Romam adijt, limina Sacra Apostolorum Petri & Pauli, multis lachrymis rigauit, votis decorauit, & lamentis, vt plagam deprecaretur, & Dei irati minas auerruncaret. Sed cœlesti Oraculo didicit cladem consummandam, & Tungrorum Ciuitatem excindendam; se autem non visurum, sed in pace antea dimittendum. Quapropter ad suos reuersus, eis cum fletu valedixit, & ad pœnitentiam excitauit: paulo post Traiecti ad Mosam oculos clausit, modica pulsatus febre. An non ipse meritò potuit dicere Domino: *Quousque irasceris nobis? Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura?*

Isa. 20.

Mich. 1.

Hier. 9.

Sic PIVS V. verè pius Pontifex, intimo pietatis sensu obibat Stationes Romanas, populum Romanum, imo totum Christianum Orbem inuitans ad lachrymas & pœnitentiam, ad vota & supplicationes, dum immineret exercitus Turcicus finibus Christianis, minitans excidium. Et certè ob suam pietatem, promeruit illam insignem victoriam, in sinu dicto de Lepantho vel Corintho.

Quid de Clemente Pontifice, huius nominis Octauo, dicam? Hic deplorabat amaris lachrymis mala vndique proserpentia; ob hæresim & diuisionem multarum Prouinciarum ab Ecclesia Romana. Vnde in Bulla Iubilæi sui dolorem cor lancinantem, sic lachrymis & verbis expressit. Cum ex nostro Pastoralis officij munere charissimos in Christo filios, Imperatorem electum, & Principes Catholicos, & omnes fideles toto terrarum orbe, in remotissimis etiam Regionibus cõmorantes, ad Iubilæi Sanctam in Domino celebritatem cum gaudio vocamus & inuitamus, Eodem planè tempore acerbissimi doloris sensu vehementissime commouemur, recogitantes quam multæ nationes & populi seipsos miserabiliter absciderunt ab vnitate & communione Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, qui proximo superiori centenario, nobiscũ vnanimes, & cum consensu in Domo Domini ambulantes, Sanctum Iubilæi illius annum multa cum lætitia & spirituali exultatione celebrarunt. Pro quorum æterna salute vitam nostram & sanguinem, si opus esset, libentissimè effunderemus. H: c Pontifex. Respiciebat Pontifex Clemens verè clemens, ad Angliam, Scotiam, Daniam, Nouergiam, Sueciam, Hollandiam, Saxoniam, aliasque Aquilonares Prouincias, quæ præcedenti sæculo Lutheranæ Caluinianæq; doctrinæ veneno infectæ, à Romana Ecclesia, & vnitate fidei se præsciderunt; ita vt verificatum hic ex parte videamus illud Prophetæ: *Ab Aquilone panditur omne malum.* Hos ergo populos lachrymis paternis deplorabat, & proprij cruoris vnda eis succurrere optabat, vt ad vnitatem ac salutem reduceret. Erat ergo & ipse de his quos DOMINVS CIBABAT pane lachrymarum, & potum dabat in lachrymis in mensura pro salute aliorum.

Hier. 1.

Quidni & Innocentium Decimum, recenter Clauo & Gubernaculis Ecclesiæ admotum, in sublimi Petri Cathedra iam sedentem, his attexam, qui non desinit publicis litteris Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cum suis populis ad lamenta vocare & lachrymas pœnitentiæ, vt ira Dei sopiatur, minitans vastitatem & cladem per hostes infensos Ecclesiæ, & per diuisionem Principum & Regum Christiano nomine gloriantium. Sic ipse loquitur verbis Hieremiæ ad gregis Christiani Pastores & speculatores omnes. *Annunciate in Ecclesia, loquimini & canite tuba, clamate fortiter*, & dicite: *Ascendit Leo de cubili suo, & prædo Gentium se leuauit, egressus est de loco suo vt ponat terram in solitudinem. Super hoc accingite vos cilicijs, plãgite & vlulate, quia non est auersa ira furoris Domini.* Optat quoque vt illud Naum 3. continuò auribus & oculis fidelis populi obuersetur: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & grauis ruinæ.*

Hier. 4. Innoc. 10. Bulla speciali.

Hæc omnia nobis imminent, nisi Deus vindicem manum auertat. Præueniamus ergo eã lachrymis cum Sũmo Pastore & dicamus. *Quousque irasceris super orationem serui*

serui tui, & pane lachrymarum cibabis nos, ac potum dabis nobis in lachrymis in mensura? Defleamus Principum diuisionem apud eum qui concordiam facit in sublimibus suis, si fortè humilium vota flebilia dignetur propitius intueri, & ab ira vlteriori nos illosque tueri.

SECTIO NONA.

Explicatio & amplificatio eiusdem Versus sexti,

Accommodata æuo nostro ærumnoso.

VERSVS SEXTVS.

Cibabis nos pane Lachrymarum.

QVamdiu pane Lachrymis intincto vescimur, ô Domine, & cogemur quasi in abscondito, & latebris cum anxietate comedere panem, qui comedebamus antea securi & pacifice, *vnusquisque sub ficu sua ac vita sua?* Quamdiu pro potu nobis lachrymas propinas, & quidem in mensura, hoc est in abundantia, quia tot inundauerunt mala? Quis ea rememorando temperet à lachrymis? Quamdiu cogemur videre & lugere Belgicam, tot iam lustris agitatam bellorum funestissimis procellis? Luget iste Orbis Ocellus, antea pellucidus & clarissimus, & dum obtegitur caligine fuliginosa, piorum secum etiam lachrymas allicit. Non enim tanta passus est sinè lachrymis viduarum, & orphanorum: sinè gemitibus compeditorũ & interemptorum: sinè fletibus amaris virginum deflotatarum, sinè lamentis Coniugum vitiatarum: sinè flebilibus querimonijs senum conculcatorum: sinè threnis & lessu lugubri Sacerdotum. Hæ sunt lachrymæ, hic potus quo vesci cogitur, & quidem in mensura, in abundantia. Vidimus enim adimpleri illud multoties in Belgico solo: *Adduxit super illos gentem de longinquo, gentem improbam & alterius linguæ, qui non sunt reueriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filijs vnicam desolauerunt.* Quamdiu cibabis nos pane lachrymarum & potum dabis nobis lachrymis mixtum, dum cernere cogimur Imperium Christianum, tot factionibus diuisum & disfectum? Dum cogimur lugere Germaniam toties vastatam, quassatam, tot cladibus Bellona furente afflictatam? Quis talia fando temperet à lachrymis! Templa lugent profanata, Aræ dirutæ, Sanctuaria exusta, Sacramenta proculcata, Vasa gloriæ direpta, Clerus disturbatus, Sacerdotes in exilium

Baruc. 4.

ilium & fugam acti, Religiosæ & Sanctimoniales fœditati datæ, omnia tam priuata quam publica, tam Sacta quam profana in confusionem redacta. An non hæc omnia piorum corda imitus fodicant, & singultus ac lachrymas educunt? Sed quousquè Domine, quousque cibabis eos pane lachrymarum?

Quid de Bohemia dicam, Silesia, Morauia, & alijs circumadiacentibus Prouincijs. Regnum illud florentissimum cum suis Dinastijs, nonne dignum lachrymis, quod toties & tamdiu fulmineum Martis gladium, & Vulcani ignitum furorem expertum est, ita vt humano natare videretur in cruore? Bellorum ibi enascentium signum pronosticon fuit Cometes ille prodigiosus qui in Cœlo apparuit, adeò protensus, adeò ignitus, in cauda igneas gerens virgas, varias Orbis Europæi partes spectantes; sicque clades, quas modo regna & regiones experiuntur, portendens, & cœlitus minitans. Quando illius meminimus, meritò lachrymas & lamenta renouamus. Fuit enim, ô Domine. Diuinæ tuæ indignationis metator & prodromus. Sed quousque Domine irasceris? Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura? Quamdiu cras & cras? Quamdiu nobis dicitur EXPECTA, REEXPECTA? Quarè non modò, quare non modo, finis indignationis tuæ? Quarè non hoc anno Virgam remoues à tua hæreditate?

O funeste Cometa, quandonam tua erit meta?

O Cometa fatalis, adhucne funera geris sub cauda & alis? ô Virga vigilans, quamdiu minaberis? ô succensa Olla, ab Aquilone, quando extinguêris? ô Mucro Domini cruente, quandò recondêris? Quamdiu sanguine inebriaberis? O flagellum Dei vindicis, quamdiu inundabis? Nunquid propediem pertransibis, & silebis? ô Calix in manu Domini, an semper eris plenus mixto, inclinans ex hoc in hoc, ex hoc populo, in illum populum, ex hoc regno, in illud regnum, ex hac regione, in illam alteram, propinans fæcem amaritudinis bellorum & malorum è discordia ac bello emanantium? Hoc nostra ætate & vidimus & videmus, si vnquam vlla, & timemus ne nos aliosque inebriet, & perdat fex nondum exinanita. Testis est Bohemia, & exindè Germania ferè tota amaritudinis calicis huius. Testis est Anglia & Scotia: Testis est Belgica terra: Testis est Succia cum Dania: Testis est Catalaunia & Portugallia, nec non & Italia & Australia. Quæ omnia regna hoc calamitoso æuo non fuerunt exempta à calice Domini amaritudine & fæce pleno. Testis est ipsa Gallia, quæ licet non sit adusque viscera peruasa postremis his bellis, centena tamẽ & centena suorũ millia in externis regionibus ad tumulum traxit. Heu! an sine dolore hæc omnia commemorabimus? An non hæc lachrymis digna? Xerxes Rex potentissimus qui montes subuertit, maria constrauit; cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem exercitum vidisset, fleuisse dicitur, quod post centum

Psal. 74.

annos

annos nullus superfuturus esset. Hoc S. Hieronymus referens subdit: O si possemus in talem speculam ascendere, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutem trahi. An non hæc audimus, partim & videmus? An non agnoscimus maiorem multitudinẽ quam illam Xerxis, non ita multis ab annis hinc indè internecioni datam, & bello vel fame vel morbo absumptam? Domine quousque irasceris, & in huius rei consideratione, cibabis nos lachrymarum pane? Etenim quacumque in Orbis plaga belli funesta contigerit plaga, bonæ menti lachrymas cieat necesse est.

SECTIO DECIMA.

Prosecutionem continet Lamenti.

PRosequor lamentum, & idem iugiter hic repeto votum. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam,* quæ est visio Pacis, *donec egrediatur* Pax illa è Cœlis *vt splendor,* vt veniat in terras *& accendatur vt Lampas,* ad dissipandam nebulosam caliginem, quæ nos circumuoluit, & restituendam populis salutem. Igitur [Isa. 62.]

Pergito Luctiferos mea Tibia dicere lessus,
Perge salutiferas mea Tibia dicere cantus.

Ergonè madidis iugiter oculis intueri cogemur quaquauersum internecinum bellum cum strage & interitu tot corporum & animarum? An fratres eiusdem vteri ecclesiæ Matris, pergent in illius vtero, vt olim Iacob & Esau, se collidere, colluctari, conculcare, non sinè matris gemitu, conturbatione & mœrore? An inter eos qui alta & arcta sæculi affinitate sunt coniuncti, plus valebit æmulatio, quam cognatio; plus radix amaritudinis, quam fauus fraternitatis, dum de primatu contendunt? Ergone Ecclesia, Mater Vniuersalis omnium fidelium, tanquam Rachel erit iugiter *plorans filios suos quia non sunt,* & quia se inuicem sic perdunt & interimunt? [Gen. 25.]

Vulcanus sileat, sileat Mauortius ignis,
Fraterno satis, heu, sanguine prata madent.

Satis

Satis, heu satis, Pennæ Aquilæ Germanicæ & Imperialis, Jubæ Leonis Belgici & Hispanici, Cæsaries & Lilia Hominis Gallici, Vngulæ Bouis Italici aspersæ sunt sanguine & cruoris profluuio.

En Columba candida aduolat, Ramum Oleæ virentis ferens, Pacis scilicet symbolum, & caduceum; bellorumque naufragos fluctus sedare gestit: Quidni omnes ocyus eam obuijs vlnis excipiunt, & Ramum exosculantur, adeò salutiferum? Quidni adhortantis obsequuntur eloquio dulci? cur naufragia adamant, & gemebundam Columbam cum suo Ramo remittunt? Tu Domine, qui corda Regum in manu tenes, & quocumquè volueris illa inclinas, effice vt non sit inefficax gemitus columbæ, & Ramus hic oliuæ. Tibi enim dicimus & canimus.

Turbida Neptunus cum Pallade bella ciebat,
Ast Olea inuenta Palladis arte fugit:
Tu Patris Æterni Sapientia, Pallade maior,
Hæc fera Ramo Oleæ bella fugare potes:

Pone Arcum fœderis tui in nubibus cœli, coram oculis Regum & Principum, vt & ipsi memores illius, fœdus non absimile ineant, nec vlterius diluuio afflictionum populos suos submergant. Videant Arcum illum Pacis, sinè sagittis, & benedicant illum; benedicant & te qui fecisti illum, quia speciosus est, in decore suo. Ornat cœlum quadam gloria, in circuitu cingens illud; & manus tuæ excelsæ sic illum extenderunt gloriosè, tanquam cælestium induciarum pignus, supernæ clementiæ simulacrum, propitiationis symbolum, reconciliationis Chyrographum, serenitatis præludium, pacis firmamentum, fœlicitatis indicium, lætæ tranquillitatis tesseram & præconium. Admirentur ergò & imitentur Arcum illum icto fœdere, vt nos reducta post tot nebulas, totque fluctus, pia lætitia & tranquilitate possimus à cœlis rediuiuam & tot votis optatam hanc Pacis Iridem cum Poëta salutare his elogijs: Salue, Salue,

Illustrißima lucis pupula, aëris alumna,
Edita patre Sole, patria Cœlo.
Prodiga luminis, nuntia numinis,
Legata serenitatis, præsaga felicitatis.

Hac Iride cingant Reges Thronum & Solium suum in circuitu instar Throni Apoca-

pocalyptici, & erit illis gloria, quia amabilis est & speciosus hic Arcus in decore suo, Cælo terræque conspicuus & exoptatus. *Apoc. 4.*

Illustrior longe ac gloriosior est quam Arcus ille Absalonis ab illo in monimentum erectus in valle Regis, cui & in Titulum inscripsit: MANVS ABSALONIS. *2. Reg. 18.* Gestiunt nonnulli Reges & Principes erigere Arcus Triumphales, Columnas, Pyramides, in Monimentum victoriarum, vel conquisitarum, bello Prouinciarum, quibus & in Titulum videntur inscribere illud: MANVS NOSTRA EXCELSA FECIT HÆC OMNIA. Sed fortè quandoque verius inscriberetur illud: MANVS NOSTRA EXCELSA RAPVIT HÆC OMNIA. Sæpè enim belli violentiæ coniuncta est iniustitia & rapina. Quicquid sit, hoc scire & meminisse deberent, quod versus canit Regum Aulis & Aulæis, Sceptris & Diadematibus dignus inscribi, & quidem aureis litteris:

—PAX optima rerum
Quas homini nouisse datum est: Pax vna triumphis
Innumeris potior: Pax custodire salutem,
Et Ciues æquare potens.

Hoc probè agnouit Cæsar Augustus qui cum à Senatu Populoque Romano magnam pecuniæ vim accepisset, vltrò oblatam, vt Statuas erigeret, nullam sibi, sed posuit & inscripsit omnes,

SALVTI PVBLICÆ; CONCORDIÆ; PACI.

Sic tradunt Historici hac in re animum eius extollentes. Vtinam hoc imitentur Reges & Principes, & nunc tandem erigant statuas, non tam sibi quam Publicæ Saluti, Concordiæ, Paci. Gloriosum fuit Eminentissimo Duci Cardinali erigere Lutetiæ Christianissimo Regi Galliæ Statuam Triumphalem, ob Nancenam expeditionem, & alias Pedemontanas. Præclarè equidem in gratiam Regis sui; sed nunquid gloriosius fuisset apud Deum, Regem Regum, & Dominum Dominantium, si Orbis Christiani Paci & Concordiæ Publicæ similem erexisset? Certè verum est illud: *Meßis, & Gloria Regum, non alia esse debet, quam Quies populorum*, vt ait sapienter Rex quidam apud Cassiodorum. Agnoscebat Rex ille bona Pacis, sicut & mala inquieti Martis, dum istud pronunciauit egregium & Regium Dictum.

Agnouit idipsum Carolus V. Imperator, qui cum Triginta sex annis Imperij Gubernaculum magnanimiter tenuisset, in mediis bellorum vndis, rerum humanarum pertesus, quæ modo prospero fluxu, modo aduerso refluxu, gubernaculum

uis & eorũ voce voluerit excitari, vt imperaret ventis & mari. Sic & modò, à nobis procellosis bellorũ turbinibus exagitatis & concussis, videtur belle excitari, vt sua potenti voce imperet ventis & mari, suaq; poteti manu eruat nos de periculis. Nec enim animũ despõdemus, licet diu inclamauerimus; quia scimus ab ipso iussũ scribi & exarari in tabulis grãdiori charactere, vt omnis qui legerit percurrat, nec hæsitet.

Abac.2. SI MORAM FECERIT, EXPECTA EVM, QVIA VENIENS VENIET, ET NON TARDABIT. Scimus & Regem Prophetam de illo istud cecinisse.

Psal. 39. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de Lacu miseriæ & de luto fecis.* Ideò ergo & nunc inclamamus, ardenter expectantes & expetentes eius auxilium.

Excita Potentiam Tuam, & veni, Vt saluos facias nos.

Psal.45. Tu Deus es conterens bella, Dominus est nomẽ tuum. Arcum conteris & confringis arma, scuta comburis igni, & sic *exaltaris in gentibus, exaltaris in terra.* Da ergo nobis quam mundus non potest dare PACEM, auferens bella vsque ad finem terræ. PACEM, quam potentes hactenus nolunt exulem ab Astris reuocare, tua tu benignitate & potẽtia digneris reducere, & in ius nobis postliminij restituere. POTENTIA tua ac BENIGNITAS hactenus nobis obdormisse visa est, dum in angustijs agimus, & varijs iactamur agitamurque malis, & tu dissimulas nec manũ porrigis. Ad te tamen clamat populus tuus in tenebris agens & caligine, in illuni nocte, tanquam ad eum qui eius suscepit curam & custodiam. Idem clamat quod olim populus ex Seir: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Nec cito respondes, quasi sopore depressus, & latens in cubili tuo circa cardines cœli, *Vbi nubes latibulum tuum.* Itanè dormit, aut dormitat, qui custodit Israel? Nunquid non exurgens misereberis Sion?

Isaiæ 21. Nunquid *tempus miserẽdi eius?* Nunquid *venit tempus? Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.* Exurge iudica causam tuam. Agitur enim de causa te concernente, de Te agitur & de nobis; de negotio gloriæ tuæ, & salutis nostræ decertatur & contenditur, te quasi indormiente. *Exurge,* tanquam *potens crapulatus à vino,* & percute aduersarios tuos dans eos in opprobrium.

Quid plura! Excita te, excita cincinnos capitis tui, & crispantẽ cæsariem potentiæ tuæ: Excita oculos Sapientiæ ac Prouidentiæ: excita brachium fortitudinis: excita & extende manum benignitatis, excita pedes misericordiæ, & VENI vt saluos facias nos. Accurre, occurre, succurre nobis in hac caliginosa ac procellosa malorũ nocte, in qua cogimur clamare. *Domine, salua nos, perimus.* Veni ad nos excitatus, aut iube nos venire ad te etiam super aquas; quia in medijs vndis agimus sine luce, sine Duce; nec euadere speramus, nisi te docente, nisi te ducente. Ergonè adhuc diu durabit hæc nox bellorũ & malorũ inundantiũ adeò profunda ac tenebrosa? Ergonè semper luctabimur tecũ in tenebris, flebilibus nostris votis & voce mœsta; erimusq; instar

Iacob

Iacob luctantis cũ Angelo tota nocte? An non veniet tandẽ Aurora rutilans Pacis toties optatæ, quæ est coniuncta cum benedictione serena, mæstitiam fugante, lætitiam reducente cum lucis amænitate? Quare dixerunt nobis toties, PAX, PAX, & non est PAX; sed nobiscum ipsi luctamur in caligine, clausis oculis digladiantes Andabatarum more? Iterum repeto, EXCITA POTENTIAM TVAM, ET VENI, ô Rex gloriæ, Deus virtutum, Dominator exercituum, quia tibi imperatur à Patre. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, vt scilicet dissipes timores nocturnos, vt vlciscaris de inimicis tuis, & inimicis Pacis; vt potenter arguas, vt cædas contradicentes tibi; vt conserues rerum omnium iura; sicque efficias, vt omnia sint in Pace. An non ideò post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labijs, post benedictionem æternæ hæreditatis, Tibi à Patre datus est *Gladius fortitudinis*, vt omnia compescas aduersaria, vt omnia componas impacifica, vt adornatus & circumamictus specie & pulchritudine PACIS, intendas prosperè, procedas fœliciter, regnes fœlicissime, deducente te mirabiliter Dextera tua? Sic, sic agnoscetur quam verè sit *Virga Directionis, Virga regni tui*; simulque fulcietur & eminebit Sedes tua Regia in Sæculum Sæculi. Sic canit Rex & vates tuus in Sacro Epithalamio, tua depromens & describens encomia.

Psal 44.

VERSVS QVARTVS

Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam & salui erimus.

SECTIO SEXTA

Explicat quis sit Deus ille Virtutum, & quæ eius facies salutifera.

INtercalaris est hic versus, ideò alijs versibus ter interseritur, & ter cum emphasi repetitur, ad SS.mæ Trinitatis gloriam & ad opem benignam implorandam à CREATORE, REDEMPTORE, SANCTIFICATORE, pro nostra CONVERSIONE, ILLVSTRATIONE, SALVTE. Tria hæc ab illo pendent, qui DEVS VIRTVTVM sacris in litteris, per excellentiam nominatur; & hoc primario propter exercitus Angelorum, quibus præest, & cingitur in Cœlis. De quibus scriptum est apud Iob: *Nunquid non est numerus militum eius?* Vtique millia milliũ, & Decies millies centena millia assistunt & ministrant ei. Hoc dicit Daniel, certum numerum non assignans, sed pro incerto & innumerabili illum proponẽs qui hu-

mano more inter maximos censeri potest computus. Per hos Angelos etiam ipse nos regit; vt de virtute in virtutem procedentes, videamus Deum virtutum, Deum Deorum in Syon.

Sed vt plenius edisseramus quid sibi velit ille versus Poetico more intercalatus, & cum energia in eodem psalmo tertiò repetitus, meminisse oportet quid responderit ille qui interrogabatur apud Prophetam: *CVSTOS QVID DE NOCTE? CVSTOS QVID DE NOCTE?* Respondet ipse. *VENIT NOX ET MANE, SI QVAERITIS, QVAERITE CONVERTIMINI, ET VENITE.*

Isaiæ 21.

Ænigma hic videtur, quod Oedipo egeret interprete, aut potius ipsomet Vate. Si venit nox, quomodo venit mane? Si mane venit, nox præterierit est necesse. Sed idem est ac si interrogaretur ab afflictis CVSTOS ille æternus, qui pro populi sui salute excubias agit: Quid nobis, ô Altissime speculator, à sublimi tua specula omnia peruidente de nostro statu in hac nocte significas? Nunquid non finis adest huius noctis? Viuimusne, an funditus perijmus? Respondet autem ipse. Adhuc tenebræ sunt vos cooperientes, appropinquat tamen crepusculum Auroræ. Si salutem quæritis, & lucem, & PACEM, ab illo quærite qui potest opem ferre, & effugium à malis ostendere: quærite diligenter, & in quærendo perseuerate. Conuertimini ad me, & venite, resipiscite, mores mutate, peccata abdicate, pœnitentiam agite. Sic votis vestris satisfiet; sic inuenietis quod quæritis. Nimirum ad perseuerantiam & tolerantiam excitat, & quærentibus lucem & quietem, spem, animumque addit. Sed quid dicam? Benè, optimè mones, qui nostræ curam geris salutis, & caliginosæ nocti nos circumuoluenti dare finem paras. Verum equidem optamus te quærere, & solerter quidem te quærere, ad te conuerti, ad te venire & te inuenire: Sed onere Babylonis pressi, & angustijs nostræ infirmitatis coarctati, non possumus te quærere, nisi nos quæras; non valemus ad te conuerti, nisi nos conuertas; nequimus ad te venire, nisi ad nos venias; nec te inuenire, nisi nos inuenias. Ergo tu DEVS VIRTVTVM, omnis Deus potentiæ audi nos.

Conuerte nos, ostende faciem tuam.

Aug in medit.

Conuerte nos, vt verè conuertamur; quære nos vt inueniamur; inueni nos, vt viuificemur & saluemur. *Da cordibus nostris te desiderare, desiderando te quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala nostra redimere, redempta non iterare.* Sic loquebatur eximius Dei Seruus S. Augustinus. Nisi tu Domine conuersus fueris ad nos, peribimus; sed tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te; & conuertemur ad cor, & audiemus te loquentem PACEM super plebem tuam, & super sanctos tuos.

Ite-

Iterum ergo & iterum repetimus. *Conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus.* Ostende faciem tuam, lucidam illam & serenam, quæ omnem fugat caliginem. Quæ lætitiam infundit & salutem, quæ nunquam est sine splendore misericordiæ, nec sine propitiationis optata benedictione. Ostende faciem tuam, & illum vultum de quo canebat Psaltes, ad illum adspirans: *Deus misereatur & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Serenum vultum tuum volumus, nō seuerum, de quo idem alibi: *Vultus autem Domini super facientes mala.* Intueri optamus faciem tuam illam alacrem ad fauendum, non illam acrem ad vindicandum, quam sat experti sumus. — *Psal. 66.*

Adspiramus & tandem ad amabilem illam faciem, quam votis omnibus optabat Moyses, dum diceret: *Domine si inueni gratiam coram oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Ostende Domine faciem illam, qua saluos facias nos, qui iam diu ostendisse videris humeros & dorsum, aspernando nos. Ergonè erimus de illis de quibus dixisti: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorū?* Absit. Hoc enim minaris eis qui tibi *Auerterunt scapulum, recedentes.* Nos autem conuertimur ad te, vt scapulis tuis expansis, obumbres nobis, ac illustres faciem tuam super nos, & dicimus ex animo idem quod olim Iosepho incolæ Ægypti: *Salus nostra in manu tua, tantum respice nos & læti seruiemus Regi.* Respice in orationem humilium, & non spernas precem eorum. Audi gemitus compeditorum, & solue filios interemptorum. Prospice de excelso sancto tuo; & in terram oculos tuæ pietatis conuertens, effice tādem vt misericordiam tuam cantemus vniti: *In conueniendo populos in vnum: & Reges vt seruiant Domino.* Hoc est votum Prophetæ, hoc omnium piorum votum est, pro quo orat & laborat hic libellus, PACIS LEGATVS, ad te directus. — *Exod. 33.* *Ierem. 18.* *Zacha. 7.* *Gen. 47.*

VERSVS QVINTVS

Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem serui tui?

SECTIO SEPTIMA

Explicat quænam sit hæc ira Dei, & quomodo placanda?

DEus licet multis precibus inuocatur, vt veniat & subueniat, vt deiectis manum porrigat opitulatricem, vt afflictis & collisis impertiatur medelam: tamen quandoque sic se gerit, quasi dedignaretur audire orationem seruo-

seruorum suorum: immò velut iratus nonnunquam videtur illam repellere. Id autem fit ob peccata nostra quibus exasperatur. Hinc illa vox apud Ieremiam: *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus; propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi. Pessima plaga tua est, non est qui iudicet*; tanquam Medicus scilicet aut Chirurgus, quo medicamine & malagmate plaga hæc tua curari valeat. Non est Princeps, aut Propheta, qui possit tibi mederi aut succurrere. *Castigatione crudeli*, quasi inimicus, *percussi te*.

Hier. 30.

Hæc dicit Dominus quasi exasperatus; sed postmodum pacificus, promittit se medicum fore, & sanitatem redditurum plagæ pessimæ. *Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te dicit Dominus*. Immò se vindicem pronuntiat erga eos qui plagam inflixerunt: *Qui te vastant, vastabuntur; cunctosq́, prædatores tuos dabo in prædam*. En lex talionis, quam debent timere, qui tot Prouincijs ac Regnis vastitatem inuexerunt, & in prædam dederunt, cum æquas PACIS conditiones promouere & subire valerent. Attendere illud oportuisset. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris depradationem, depradaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemnêris.*

Ibid.

Isa. 33.

Verumtamen non id, Domine, à te precamur, sed PACEM, & Pacem quidem vniuersam, votis omnibus deposcimus. Quare irasceris super orationem serui tui, qui dixisti per Prophetam: *Indignatio non est mihi?* Et subiecisti cum iustè posses indignationem exercere in populum tuum Domine: *Quis dabit me veprem & spinam in prælio? Angradiar super eam? Succendam eam pariter? An potius tenebit fortitudinem meam, faciet Pacem mihi, Pacem faciet mihi?* Pro hac PACE, & bis repetita PACE, iuuat hoc tempore vniuersis pandere vota, & ad illum tendere manus, qui DEVS VIRTVTVM est, vt eius fortitudinem teneamus, qui Moysi dicebat: *Dimitte me vt irascatur furor meus. Hoc igitur vult illa gemebunda vox,*

Domine Virtutum, quousque irascèris?

QVousquè adhuc iratus & dedignabundus reijcies preces nostras? *Tu repulisti nos & destruxisti nos, iratus es nobis*; sed nunquid tandem misereberis? *Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius quia commota est: Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Satis est Domine, satis est, contine manum tuam percutientem, & exhibe blandientem. Nescit ira tua progredi, nisi vt misericordiæ viam pandat, incipit ira sæuiens, vt subsequatur misericordia parcens. Repellis, destruis, commoues orbem & conturbas, vt inuocetur & veniat clementia tua. O ira misericors! O salubris indignatio, qua sic irasceris vt subuenias, sic minaris vt parcas, sic aufers vt restituas, sic tradis vt eripias, sic destruis, vt munias, sic abijcis vt recipias. Hoc nimirum est quod Deo dicebat Propheta Abacuc: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Ideò rursus alibi

Psal. 59.

Abac. 3.

alibi euigilans nocte Dauid, antequam excubiæ militares vigilare inciperent, secum multa voluebat in silentio, considerans calamitates & pericula populum Dei affligentia. Audi ipsummet. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Quare non est locutus? Quia admirabatur iustissima iudicia Dei. Tandem post multam reuolutionem cordis sui sic se alloquitur. *Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suã abscondet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Attende quot verbis non sine emphasi idem repetit, in exercitatione amara mentis & cordis. Nec enim aliud vult dicere: Nonne tandem Deus placatior nobis reddetur, & iram suam cõuertet in misericordiam? Postmodum subdit: *Et dixi. Nunc cœpi. Hæc mutatio Dexteræ excelsi:* Quasi dicat. Post longam anxietatem & molestam meditationem cœpi tandem respirare, cœpi & meliora sperare, proposui & vitam commutare, & melius sapere. Vt & Deus dexteram suam commutaret in meam & populi prosperitatem. & sinistram auerteret, qua iam diu aduersa infligens, & infausta, plebem suam afflixerat & percusserat.

Psal. 76.

Hæc est mutatio Dexteræ excelsi, qua ab anxietate in spem nos commutat, dum & nos commutamur ab iniquitate recedentes, ad eius pietatem accedentes. Ideò hic Psalmus Septuagesimus nonus, cuius morali interpretationi inhæremus, in inscriptione habet hunc Titulum.

Pro his qui commutabuntur.

Alia lectio habet. PRO LILIIS. Pro his scilicet qui lolia antè erant nigricantia in agro mundi senticoso, sed fœlici commutatione postmodum Lilia fiunt candida in agro Domini amœno. De quibusdam dicit cum querimonia Psaltes. *Non est illis commutatio.* & quia non est eis commutatio à praua via & vita ad meliorem frugem, ideò sub prælo adhuc teruntur & flagello, vt tandem commutentur & conuertantur, & excussis paleis frumenta inueniantur.

Hos qui non commutantur in melius, aduersis licet fracti & moniti, deflet Vrbanus Octauus Pontifex, in oratione à se edita ex S. Augustino hisce verbis: O Domine peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus; in flagellis tuis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur. Vita in dolore suspirat, ac in opere se non emendat. Si expectas, nõ corrigimur; si vindicas, non duramus. Si ferias, clamamus vt parcas; si peperceris, iterum peccamus vt ferias. Si extenderis manũ, facienda promittimus; si suspenderis gladium promissa non soluimus. Hæc Pontifex ad Deum in tribulatione dirigens. Adijcio hic & ego concludens hunc versum: Habes Domine confitentes reos, & agnoscentes quod iustè eos premis & perimis: illos commuta

tuis flagellis,adimpleque illum Titulum Psalmi tui. PRO HIS QVI COMMVTABVNTVR. Hac enim commutatione commutabis & manus tuas,vt illis cancellatis,instar Iacob,benedictionem duplicem nobis impertias; & non solum iram auertas,sed etiam gratiam consolationis infundas,*donans lugentibus coronam pro cinere,oleum gaudij pro luctu,pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ita fac Domine propter te,propter nomen tuum,propter gloriam nominis tui: *Expectatio Israel,& Saluator eius in tempore tribulationis.* Nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.

Isa.61.

Hier.14.

Claudat hæc omnia pia vox Ecclesiæ,plerisque in Templis Belgicæ, lugubri sono expressa,quasi gemitus piæ Columbæ filios suos adhortantis alternis Chori modulis.

Processionale Mechliniense feria 3. Rogation.

Clamemus omnes vna voce, Domine miserere
Amara nobis est vita nostra, Domine miserere
Bellis attriti,penè consumpti, Domine miserere
Curuamur peccatis, opprimimur plagis, Domine miserere
Delicta dele,pacem concede. Domine miserere
Excelsus respice,pius indulge, Domine miserere
Flagella remoue,Pacem tribue, Domine miserere
Gemitum respice,pius exaudi, Domine miserere

VERSVS SEXTVS

Cibabis nos Pane Lacrymarum & Potum dabis nobis in Lacrymis in mensura.

SECTIO OCTAVA

Agit de illis qui Lacrymas fuderunt ob afflictionem publicam.

NOn defuerunt omni sæculo,qui publicas calamitates,luctu,lamentis,lachrymis prosequerentur,ex commiserationis affectu,quasi Heraclyti à Deo ad id scle-

selecti. Talis fuit Isaias Propheta, qui iussus est à Domino Ciuitatem triduo obambulare nudus & Discalceatus facie luctuosa, & pedibus sordidatis, vt portenderet hoc habitu ignominioso & prodigioso, superuenturas bellorum clades & vastitates. Talis fuit & Michæas qui prophetiæ suæ exordio sic intonat: *Vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut Draconum, & luctum sicut struthionum, quia desperata est plaga, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* Prænidebat & plangebat nuditatem & ignominiam populo suo spoliato infligendam, cum amarissimis cladibus & plagis. Talis deniq; Heraclytus fuit Ieremias olim, qui cap. 9. sui vaticinij sic inclamat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymarum fontem? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Hi omnes dicere poterant: *Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* An non & ipse Christus videns Ciuitatem, & imminentia ei mala præuidens, amarè fleuit super illam, & dixit ingemiscens: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die quæ ad pacem tibi?* Sic & Sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista & Propheta, relegatus in Insulam Pathmos, describit calamitates futuri æui, & maximè extremi, & illas deplorat, exhibetque nobis deplorandas. Sed veniamus ad historias Ecclesiasticas. S. Augustinus Hypponensis Episcopus irruentibus in Africam Vandalis & Hypponensem Ciuitatem obsidentibus flebat amarissimè calamitates populi sui, & imminentia ei mala. Vnde petebat à Deo, ardentibus votis lachrymisque calidissimis, vt hæc mala auerteret, vel ipsum met ex hoc calamitoso sæculo eriperet, ne cogeretur videre tot mala gentis suæ, tot ærumnas, tot infelicia belli barbarici germina. Quod & cœlitus concessum fuit; nam post tres menses obsidionis, in quibus lachrymæ fuerant ei die ac nocte, Creatori spiritum reddidit. Sic & S. Seruatius Tungrensis Episcopus ordine Decimus, cum Hunni in Gallias irrumpere cœpissent, commiseratus populi sui, cui & inundantia mala præ foribus erant, Romam adijt, limina Sacra Apostolorum Petri & Pauli, multis lachrymis rigauit, votis decorauit, & lamentis, vt plagam deprecaretur, & Dei irati minas auerruncaret. Sed cœlesti Oraculo didicit cladem consummandam, & Tungrorum Ciuitatem excindendam; se autem non visurum, sed in pace antea dimittendum. Quapropter ad suos reuersus, eis cum fletu valedixit, & ad pœnitentiam excitauit: paulo post Traiecti ad Mosam oculos clausit, modica pulsatus febre. An non ipse meritò potuit dicere Domino: *Quousque irasceris nobis? Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura?*

Isa. 20.

Mich. 1.

Hier. 9.

Sic PIVS V. verè pius Pontifex, intimo pietatis sensu obibat Stationes Romanas, populum Romanum, imo totum Christianum Orbem inuitans ad lachrymas & pœnitentiam, ad vota & supplicationes, dum immineret exercitus Turcicus finibus Christianis, minitans excidium. Et certè ob suam pietatem, promeruit illam insignem victoriam, in sinu dicto de Lepantho vel Corintho.

Quid de Clemente Pontifice, huius nominis Octauo, dicam? Hic deplorabat amaris lachrymis mala vndique proserpentia; ob hæresim & diuisionem multarum Prouinciarum ab Ecclesia Romana. Vnde in Bulla Iubilæi sui dolorem cor lancinantem, sic lachrymis & verbis expressit. Cum ex nostro Pastoralis officij munere charissimos in Christo filios, Imperatorem electum, & Principes Catholicos, & omnes fideles toto terrarum orbe, in remotissimis etiam Regionibus cõmorantes, ad Iubilæi Sanctam in Domino celebritatem cum gaudio vocamus & inuitamus. Eodem planè tempore acerbissimi doloris sensu vehementissime commouemur, recogitantes quam multæ nationes & populi seipsos miserabiliter absciderunt ab vnitate & communione Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, qui proximo superiori centenario, nobiscũ vnanimes, & cum consensu in Domo Domini ambulantes, Sanctum Iubilæi illius annum multa cum lætitia & spirituali exultatione celebrarunt. Pro quorum æterna salute vitam nostram & sanguinem, si opus esset, libentissimè effunderemus. Hæc Pontifex. Respiciebat Pontifex Clemens verè clemens, ad Angliam, Scotiam, Daniam, Nouergiam, Sueciam, Hollandiam, Saxoniam, aliasque Aquilonares Prouincias, quæ præcedenti sæculo Lutheranæ Caluinianæq; doctrinæ veneno infectæ, à Romana Ecclesia, & vnitate fidei se præsciderunt; ita vt verificatum hic ex parte videamus illud Prophetæ: *Ab Aquilone panditur omne malum.* Hos ergo populos lachrymis paternis deplorabat, & proprij cruoris vnda eis succurrere optabat, vt ad vnitatem ac salutem reduceret. Erat ergo & ipse de his quos DOMINVS CIBABAT pane lachrymarum, & potum dabat in lachrymis in mensura pro salute aliorum.

Hier. 1.

Quidni & Innocentium Decimum, recenter Clauo & Gubernaculis Ecclesiæ admotum, in sublimi Petri Cathedra iam sedentem, his attexam, qui non desinit publicis litteris Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cum suis populis ad lamenta vocare & lachrymas pœnitentiæ, vt ira Dei sopiatur, minitans vastitatem & cladem per hostes infensos Ecclesiæ, & per diuisionem Principum & Regum Christiano nomine gloriantium. Sic ipse loquitur verbis Hieremiæ ad gregis Christiani Pastores & speculatores omnes, *Annunciate in Ecclesia, loquimini & canite tuba, clamate fortiter,* & dicite: *Ascendit Leo de cubili suo, & prædo Gentium se leuauit, egressus est de loco suo vt ponat terram in solitudinem. Super hoc accingite vos cilicijs, plãgite & vlulate, quia non est auersa ira furoris Domini.* Optat quoque vt illud Naum 3. continuò auribus & oculis fidelis populi obuersetur: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & grauis ruinæ.*

Hier. 4.

Innoc. 10. Bulla speciali.

Hæc omnia nobis imminent, nisi Deus vindicem manum auertat. Præueniamus ergo eã lachrymis cum Sũmo Pastore & dicamus. *Quousque irasceris super orationem serui*

serui tui, & pane lachrymarum cibabis nos, ac potum dabis nobis in lachrymis in mensura? Defleamus Principum diuisionem apud eum qui concordiam facit in sublimibus suis, si fortè humilium vota flebilia dignetur propitius intueri , & ab ira vlteriori nos illosque tueri.

SECTIO NONA.

Explicatio & amplificatio eiusdem Versus sexti,

Accommodata æuo nostro ærumnoso.

VERSVS SEXTVS.

Cibabis nos pane Lachrymarum.

QVamdiu pane Lachrymis intincto vescimur, ô Domine, & cogemur quasi in abscondito, & latebris cum anxietate comedere panem , qui comedebamus antea securi & pacifice, *vnusquisque sub ficu sua ac vita sua?* Quamdiu pro potu nobis lachrymas propinas, & quidem in mensura, hoc est in abundantia, quia tot inundauerunt mala? Quis ea rememorando temperet à lachrymis ? Quamdiu cogemur videre & lugere Belgicam , tot iam lustris agitatam bellorum funestissimis procellis? Luget iste Orbis Ocellus, antea pellucidus & clarissimus, & dum obtegitur caligine fuliginosa, piorum secum etiam lachrymas allicit. Non enim tanta passus est sinè lachrymis viduarum, & orphanorum: sinè gemitibus compeditorū & interemptorum : sinè fletibus amaris virginum deflotatarum , sinè lamentis Coniugum vitiatarum: sinè flebilibus querimonijs senum conculcatorum : sinè threnis & lessu lugubri Sacerdotum. Hæ sunt lachrymæ, hic potus quo vesci cogitur, & quidem in mensura, in abundantia. Vidimus enim adimpleri illud multoties in Belgico solo : *Adduxit super illos gentem de longinquo, gentem improbam & alterius linguæ, qui non sunt reueriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filijs vnicam desolauerunt.* (Baruc. 4.) Quamdiu cibabis nos pane lachrymarum & potum dabis nobis lachrymis mixtum , dum cernere cogimur Imperium Christianum, tot factionibus diuisum & dissectum ? Dum cogimur lugere Germaniam toties vastatam, quassatam , tot cladibus Bellona furente afflictatam? Quis talia fando temperet à lachrymis! Templa lugent profanata, Aræ dirutæ, Sanctuaria exusta, Sacramenta proculcata, Vasa gloriæ direpta, Clerus disturbatus, Sacerdotes in exilium

ilium & fugam acti, Religiosæ & Sanctimoniales fœdirati datæ, omnia tam priuata quam publica, tam Sacra quam profana in confusionem redacta. An non hæc omnia piorum corda imitus fodicant, & singultus ac lachrymas edneunt? Sed quousquè Domine, quousque cibabis eos pane lachrymarum?

Quid de Bohemia dicam, Silesia, Morauia, & alijs circumadiacentibus Prouincijs. Regnum illud florentissimum cum suis Dinastijs, nonne dignum lachrymis, quod toties & tamdiu fulmineum Martis gladium, & Vulcani ignitum furorem expertum est, ita vt humano natare videretur in cruore? Bellorum ibi enascentium signum pronosticon fuit Cometes ille prodigiosus qui in Cœlo apparuit, adeò protensus, adeò ignitus, in cauda igneas gerens virgas, varias Orbis Europæi partes spectantes; sicque clades, quas modo regna & regiones experiuntur, portendens, & cœlitus minitans. Quando illius meminimus, meritò lachrymas & lamenta renouamus. Fuit enim, ô Domine. Diuinæ tuæ indignationis metator & prodromus. Sed quousque Domine irasceris? Quousque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura? Quamdiu cras & cras? Quamdiu nobis dicitur EXPECTA, REEXPECTA? Quarè non modò, quare non modo, finis indignationis tuæ? Quarè non hoc anno Virgam remoues à tua hæreditate?

O funeste Cometa, quandonam tua erit meta?

O Cometa fatalis, adhucne funera geris sub cauda & alis? ô Virga vigilans, quamdiu minaberis? ô succensa Olla, ab Aquilone, quando extinguêris? ô Mucro Domini cruente, quandò reconderis? Quamdiu sanguine inebriaberis? O flagellum Dei vindicis, quamdiu inundabis? Nunquid propediem pertransibis, & silebis? ô Calix in mann Domini, an semper eris plenus mixto, inclinans ex hoc in hoc, ex hoc populo, in illum populum, ex hoc regno, in illud regnum, ex hac regione, in illam alteram, propinans fæcem amaritudinis bellorum & malorum è discordia ac bello emanantium? Hoc nostra ætate & vidimus & videmus, si vnquam vlla, & timemus ne nos aliosque inebriet, & perdat fex nondum exinanita. Testis est Bohemia, & exindè Germania ferè tota amaritudinis calicis huius. Testis est Anglia & Scotia: Testis est Belgica terra: Testis est Suecia cum Dania: Testis est Catalaunia & Portugallia, nec non & Italia & Austrasia. Quæ omnia regna hoc calamitoso æuo non fuerunt exempta à calice Domini amaritudine & fæce pleno. Testis est ipsa Gallia, quæ licet non sit adusque viscera peruasa postremis his bellis, centena tamē & centena suorū millia in externis regionibus ad tumulum traxit. Heu! an sine dolore hæc omnia commemorabimus? An non hæc lachrymis digna? Xerxes Rex potentissimus qui montes subuertit, maria constrauit; cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem exercitum vidisset, fleuisse dicitur, quod post centum

Psal. 74.

annos

annos nullus superfuturus esset. Hoc S. Hieronymus referens subdit: O si possemus in talem speculam ascendere, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutem trahi. An non hæc audimus, partim & videmus? An non agnoscimus maiorem multitudinē quam illam Xerxis, non ita multis ab annis hinc indè internecioni datam, & bello vel fame vel morbo absumptam? Domine quousque irasceris, & in huius rei consideratione, cibabis nos lachrymarum pane? Etenim quacumque in Orbis plaga belli funesta contigerit plaga, bonæ menti lachrymas cieat necesse est.

SECTIO DECIMA.

Prosecutionem continet Lamenti.

PRosequor lamentum, & idem iugiter hic repeto votum. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam*, quæ est visio Pacis, *donec egrediatur* Pax illa è Cœlis *vt splendor*, vt veniat in terras *& accendatur vt Lampas*, ad dissipandam nebulosam caliginem, quæ nos circumuoluit, & restituendam populis salutem. Igitur *Isa. 62.*

Pergito Luctiferos mea Tibia dicere lessus,
Perge salutiferas mea Tibia dicere cantus.

Ergonè madidis iugiter oculis intueri cogemur quaquauersum internecinum bellum cum strage & interitu tot corporum & animarum? An fratres eiusdem vteri ecclesiæ Matris, pergent in illius vtero, vt olim Iacob & Esau, se collidere, colluctari, conculcare, non sinè matris gemitu, conturbatione & mœrore? An inter eos qui alta & arcta sæculi affinitate sunt coniuncti, plus valebit æmulatio, quam cognatio; plus radix amaritudinis, quam fauus fraternitatis, dum de primatu contendunt? Ergone Ecclesia, Mater Vniuersalis omnium fidelium, tanquam Rachel erit iugiter *plorans filios suos quia non sunt*, & quia se inuicem sic perdunt & interimunt? *Gen. 25.*

Vulcanus sileat, sileat Mauortius ignis,
Fraterno satis, heu, sanguine prata madent.

Satis

pocalyptici,& erit illis gloria;quia amabilis est & speciosus hic Arcus in decore suo, Cælo terræque conspicuus & exoptatus. *Apoc. 4.*

Illustrior longe ac gloriosior est quam Arcus ille Absalonis ab illo in monimentum erectus in valle Regis,cui & in Titulum inscripsit MANVS ABSALONIS. Gestiunt nonnulli Reges & Principes erigere Arcus Triumphales,Columnas,Pyramides,in Monimentum victoriarum,vel conquisitarum, bello Prouinciarum, quibus & in Titulum videntur inscribere illud: MANVS NOSTRA EXCELSA FECIT HÆC OMNIA.Sed fortè quandoque verius inscriberetur illud: MANVS NOSTRA EXCELSA RAPVIT HÆC OMNIA. Sæpè enim belli violentiæ coniuncta est iniustitia & rapina. Quicquid sit, hoc scire & meminisse deberent,quod versus canit Regum Aulis & Aulæis, Sceptris & Diadematibus dignus inscribi,& quidem aureis litteris: *2. Reg. 18.*

——PAX optima rerum
Quas homini nouisse datum est: Pax vna triumphis
Innumeris potior: Pax custodire salutem,
Et Ciues æquare potens.

Hoc probè agnouit Cæsar Augustus qui cum à Senatu Populoque Romano magnam pecuniæ vim accepisset, vltrò oblatam, vt Statuas erigeret,nullam sibi, sed posuit & inscripsit omnes,

SALVTI PVBLICÆ; CONCORDIÆ; PACI.

Sic tradunt Historici hac in re animum eius extollentes. Vtinam hoc imitentur Reges & Principes, & nunc tandem erigant statuas, non tam sibi quam Publicæ Saluti, Concordiæ, Paci. Gloriosum fuit Eminentissimo Duci Cardinali erigere Lutetiæ Christianissimo Regi Galliæ Statuam Triumphalem, ob Nancenam expeditionem,& alias Pedemontanas.Præclarè equidem in gratiam Regis sui;sed nunquid gloriosius fuisset apud Deum,Regem Regum, & Dominum Dominantium,si Orbis Christiani Paci & Concordiæ Publicæ similem erexisset? Certè verum est illud: *Messis,& Gloria Regum, non alia esse debet, quam Quies populorum*, vt ait sapienter Rex quidam apud Cassiodorum. Agnoscebat Rex ille bona Pacis, sicut & mala inquieti Martis,dum istud pronunciauit egregium & Regium Dictum.

Agnouit idipsum Carolus V. Imperator, qui cum Triginta sex annis Imperij Gubernaculum magnanimiter tenuisset,in mediis bellorum vndis, rerum humanarum pertesus,quæ modo prospero fluxu, modo aduerso refluxu, gubernaculum

tenentes varia sollicitudine afficiunt; renunciauit Imperio. Et Diadema ac Sceptrum, aliaque Imperij Insignia ad fratrem suum Ferdinandū transmisit, in Electorumque potestate Imperatoriam Dignitatem reposuit, valedicens terræ & Regnorum ingentibus, agentibusque negotijs; vt quieti se daret, & sibi vacaret, Deoque. Itaque indictis Bruxellæ Statuum Comitijs, Principibus ac Optimatum cætui valedicens, Deo gratias agit, quod inter tot discrimina, & post tot labores terra pelagoque exantlatos, se huc vsque conseruarit. Deplorat vlterius sortem eorum qui Imperijs destinantur, quos per tot amarulentos angustiæ fluctus pertransire necesse est, vt nec vnum diem sine anxia sollicitudine asserat se peregisse. Deplorat deniquè tot millia cæsa, tantam copiam sanguinis fusam ob particularia dissidia, quæ illi cum Galliæ Rege interuenerant, atque asserebat se ad id coactum; sæpiusque Pacis æquissimas conditiones obtulisse, etiam iure suo cedendo. Excusat quoque si quando subsidijs publicis plebem grauarit, Bellicam necessitatem id postulasse. Exinde inaugurato Philippo filio suo in Belgij Principem & Dynastam, in Hispaniam nauigio transit. Vbi in Monasterio quodam Ordinis S. Hyeronimi, se concludit, magnam partem dierum & noctium in oratione & pœnitentia transigens, cilicio etiam vtens, & disciplinæ flagello, adspirans ad Æternæ Pacis contemplationem & Regni cœlestis Coronam. *Florim. Remundus, de ortu Hæreseon l. 5. c. 5. horum omnium testis est.*

SECTIO VNDECIMA.

Declarat quod non sit Pax respuenda, etiam ab illis quibus fœlix videtur Belli successus.

NOnnulli Principes & Reges inflati victorijs, Concordiæ & Paci Dexteram porrigere renuunt, nisi fortè iniquis conditionibus; & hoc eis sæpe Deo prouidente & vindicante infœliciter cædit. Horum vni de victoria exultanti, & nimium se exaltanti rectè responsum est. *Metire vmbram tuam, si fortè maior sit post victoriam.* Sapienter quoq; dixit quidam: *Potior est Vncia Pacis quam Libra victoriæ.* Quod dum non attenditur, parum fœlici euentu bella & discordiæ protelantur, in ruinam & perniciem plebis innocuæ, & totius Reipublicæ, Regnaque incertæ & periculosæ committuntur aleæ. Producamus in medium nonnulla huius rei Exempla, tum ex Sacris, tum ex alijs Historijs non abs re nostra.

Archidamus Rex Lacedemonum ad Philippum Regem Macedoniæ. Cardin. Bellarm.

Illustre est illud de Amasa, Rege Iuda, Sacris consignatum paginis. 4. Reg. 14. Percusserat ipse Idumæorum decem millia, & apprehendit rupem hostium celsam & munitā, ex qua præcipitauit alia decem millia. Hac victoria inflatus, prouocauit ad bellum Ioas Regē Israël, illumq; cum populo suo sibi voluit subijcere. Ad hunc effectum, misit nuntios ad Ioas dicens: *Veni, & videamus nos.* Respondit ei Ioas remissis:

missis nuntijs: *Percutiens inualuisti super Edom, & subleuauit te Cor tuũ, contentus esto gloria, & sede in domo tua. Quarè prouocas malum, vt cadas tu, & Iudas tecum?* Et non acquieuit Amasias, ascenditque Ioas Rex Israël, & percussus est populus Amasiæ, ipseque victus & captus est, & in oculis eius Ierusalem spoliata est. Postmodum à suis est interfectus, Deo sic eius audaciam & scelera vindicante. O infœlicem! Qui Ramum Oliuæ noluit tenere, Martis hastam debuit timere. 4. Reg. 14.

Audi non absimile ex Historijs Ecclesiasticis, Chosroas Persarum Rex, extremis Phocæ Imperij tẽporibus, Ægypto & Africa occupata, ac Ierosolima capta, multisq; ibi cæsis Christianorũ millibus, Christi Domini Crucẽ, quam Helena in monte Caluariæ collocarat, in Persidem abstulit. Itaque Heraclius qui Phocæ successerat, multis belli incõmodis & calamitatibus afflictus, Pacem petebat, quam à Chosroa victorijs insolente, ne iniquis quidẽ conditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine se assiduis ieiunijs & orationibus exercens, opẽ à Deo vehemẽter implorabat; cuius monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres Duces Chosroæ cũ tribus exercitibus superauit. Quibus cladibus fractus Chosroas in fuga qua traijcere Tygrim parabat, Medarsem filiũ sociũ Regni designat. Sed eã contumeliam cum Sinochius, Choforoæ maior natu filius indignè ferret, atrociter patri simul ac fratri necem machinatur, quam paulo post vtrique ex fuga retracto attulit. Hæc Breuiarium Romanum. Vide rerum quæ sub sole sunt inconstantiam, ac mutabilitatem hic manifestam. Quid de Cæsare ac Pompeio dicam ex prophanis historijs? Bello ciuili inter eos excitato de Republica agebatur. Omnia Cæsar egit, vt odia ponerentur & armaq̀ contra Pompeius tanquã validior & toto fultus Senatu vnam in victoria Pacem collocare. Sed pugna puniuit pertinaciam. Victus & in fugam coniectus, qui Magnus appellari meruerat, non tam felix fuit, vt cum exercitu & libertate occumberet; sed quasi nomen cum fortuna exueret miserè viliterque perijt, mancipij Aegyptiaci arbitrio iugulatus.

Accedat & his Pyrrhus, Rex Epirotarum, bellatorum maximus, quia Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ viribus, Cãpaniæ, Apuliæ, Lucaniæ subsidijs pugnabat. Hic tamen quamuis toto Marte subnixus, & nouus Alexander habitus, imo Aquila nominatus, non potuit tamen magnus esse, quia noluit vti Pace. Victus enim ac fugatus fuit ab ijs quos vicerat, & excedere Italia cum reliquijs copiarum coactus est. Ac de eo refert Plutarchus, quod Cyneas Thessalus eius Legatus ei pacem suaderet & quietem, in his quæ tenebat & citra negotium ad manum erant; quia alia ad quæ adspirabat per sanguinem, per multos sudores, per discrimina petenda erant, multas alijs afferendo calamitates, multas accipiendo. Iratus verò Rex, spreuit cõsilium, bellum gessit, & saxo percussus à vetula in obsidione Ciuitatis perijt. Testis est Plutarchus in Pyrrho.

His vt propius ad nostra accedamus; connumerandus est Carolus Burgundiæ Dux, cognomento Audax, qui post multas victorias ferocior euasit, suã existimans felici-

Ecce quot ſententijs inculcat varietatem & viciſſitudinem rebus in humanis, in Regibus & Regnis, ab eo tamen *in quo non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Conſiderent hæc maturè Reges & Principes, Regumque conſiliarij, Legati, & Optimates. Illud menti recondant in belli fœlici ſucceſſu;

Ille qui donat Diadema fronti,
Res Deus noſtras celeri rotatas
Turbine, verſat.

Meminerint quam pulchrum ſit Patriæ conſulere, parcere afflictis, & vt verſu Poëtæ Tragedi vtar,

Cede abſtinere, tempus atque ire dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via.

Seneca Tragedus.

Sic canit Poëta Tragedus, conſulens vt bellorum funeſtæ & cruentæ Tragediæ finem accipiant, & Prouinciæ ac Regna antea tanquam Tragica Theatra non vltra funeribus & cruore redundent.

Suſcipiant Reges & Principes, eorumque Legati & Optimates, ſuſcipiant, inquam, *Pacem populo* tanquam montes *tanquam colles iuſtitiā*, vt ab ipſis noua lux, Roſque Pacis gratiſſimus defluat cum iucunditate in infimam plebem, tanquam in inferiores valles, & in illis oriatur abundantia proſperitatis. Hic eſt ros de quo Propheta: *Ros lucis, Ros tuus.* Deſcendat ille Ros illapſu placido & ſilente, remoto armorum ſtrepitu tumultuante; *Deſcendat ſicut pluuia in vellus Gedeonis, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram* in Lilia Salomonis Pacifici Regis. Clarius ediſſero. Illuſtret & irroret Ros iſte Lucis & Pacis vellus Hiſpanicum, & Lilium Gallicanum, & vtrique Regno per concordiam ſignum ſit proſperitatis & fæcunditatis, ſignum vitæ fœlicis & benedictionis; *Sicut Ros Hermon qui deſcendebat in montem Sion* ſignum fuit Concordiæ & amoris.

Pſal. 71.

Iſa. 26.

Sed nec hic prætereundum mihi eſt, nec fortè myſterio vacat, nec à propoſito eſt alienum, quod iſte Pſalmus quem huic æuo calamitoſo accommodamus, ſecundum Hæbream lectionem hunc titulum gerit.

Pro Lilijs.

Lilium antiquis illuſtre fuit SPEI Symbolum. Vnde Alexander Pius Imperator Rom. in moneta quam cudit, ſculpſit imaginem Hominis manu dextera Lilia

porrigentem, & manu sinistra hæc verba tenentem SPES PVBLICA. Simile quid fecit & Tiberius Claudius, qui sculptis in moneta Lilijs, eam sic inscripsit SPES AVGVSTA. Quam postremam inscriptionem imitati sunt Galliæ Reges & Proceres in suis Lilijs, quæ pro Regio Stemmate gerunt. Alludere ergo hic mihi liceat & dicere, quandoquidem etiam Summus Pontifex Lilia præferat in insignijs suis:

Lilia Francigenûm Spes sunt Augusta salutis:
Publica Spes Pacis Lilia Pontificis.
Si faciat pontem Gallos qui nectat Iberis,
Huic bene Pontificis nomen & omen erit.

Sic & perfectè adimpleretur vterque Titulus huius Psalmi inscripti *Pro Lilijs & Pro his qui commutabuntur*; si iterum confœderati qui bella gerunt commutentur à Discordia ad Pacem, ab odio ad amorem, à simultate ad charitatem & fraternitatem sinceram.

Hoc ab eis poscimus, hoc à te Summe Deus quibus possumus votis efflagitamus. Hoc enixè rogamus ad Gloriam tuam, & Ecclesiæ tuæ, vt INNOCENTIVS omnium Christianorum, quasi Israelitarum, Sacerdos Summus, sit nobis tanquam Aaron, à cuius capite vnguentum odoriferum Pacis & cōcordiæ defluat in genas, in Barbam & Barbam, hoc est in Principes & Primores, in quibus virile robur est; ac deindè ad Oram vsque vestimenti etiam inferiorem pertingat, hoc est in infimam plebem: & odore suo quoquouersum diffuso omnes recreet & lætificet; vt possint cum iubilo cantare quasi in sono epulantis. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* *Psal. 132.*

Optamus & obsecramus vt Sceptrum eius & Virga Ponficalis floreat instar Virgæ Aaronis, & producat flores, frondes, gemmas turgentes, quæ folijs dilatatis, in amygdalinos fructus efformentur, quibus Grex Domini delitiosè & suauiter pascatur sub vmbra securè sedens. Hi sunt Pacis fructus suauissimi, hæreditatem Domini exornantes. Atque vtinam similes fructus amygdalinos Sceptra Regum, Virgæ Dominantium, eius quoque hortatu producant; quæ hactenus nonnisi fructus amaros Discordiæ, & pira angustiæ videntur protulisse.

Optamus & obsecramus, vt sit nobis instar Noë, & eius iustitia, innocentia, vigilantia & ope requiescamus, à laboribus bellicis, & consolemur à mœrore nimis, heu, longo: Noë enim nomen, quietem indicat & consolationem. Optamus, vt eius Arca sit fœderis Arca & consolationis in qua plebs plusquam Decumanis fluctibus agitata, à naufragio tandem sit secura: & in viam Pacis ac Portum salutis, illa protegente, illo deducente, Deo propitiante, possit pertingere, vt & de illo verum sit, quod de Noë scriptum est Eccl. 44. *Inuentus est perfectus, & iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* *Gen. 5.*

Opta-

Optamus denique,& obnixè precamur, vt sit nobis tanquam Gedeon, quod interpretantur *Succisor iniquitatis & Idoli, Succisorque doloris.* Vt idolo Hæresis succiso,& iniquitate suppressa, dolorem nostrum & mœrorem abstergat, emergentem ex tot erroribus Doctrinæ, ex tot terroribus Bellonæ, ex tanta iniquitate grassante. O vtinam possit erigere Aram Domino sicut Gedeon, cui & litteris inscribat aureis, DOMINI PAX. O præclara, & optata omnium votis inscriptio. Hisce votis fauete Reges, fauete Cœlites, faue Virgo Pacis, faue Deus Pacis. Alioqui adhuc *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura*, si cogamur videre mala & clades vlteriores post tot annorum ærumnas bellico furore inuectas; si & cogamur dicere (dum videmus Regna & Regiones contendentes,& cum peruicacia sese collidentes) quod de priscis suis filijs olim Iacob non sine mœrore dixit: *Vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu eorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax & indignatio, quia dura.* Concludo,& iterum iterumque repeto: TV QVI REGIS ISRAEL INTENDE,& vlteriora belli mala à nobis auerte. QVI DEDVCIS VELVT OVEM IOSEPH. Gen. 49.

SECTIO DECIMATERTIA.

Agit de oratione Ecclesiæ frequentissima pro Pace, tam in Officio quam in Sacrificio.

Dicam cum Propheta: *Iustus es Domine si Disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te.* Loquar ad Dominum meũ, cum sim puluis & cinis: & si malè locutus fuero, volo pœnitentiã agere in cinere & fauilla, volo me deprehendere, & reprehendere: Hæc autem est disceptatio mea tecum Domino: Cur toties iubes nos petere Pacem,& facimus id quod iubes,& non exaudis? Non aliud nisi Pax in labijs, suspirijs,& votis nostris,& aures claudis? Nonne quotidie & continuò toto orbe resonat, & cœlum pulsat cum gemitu vox illa: *Da Pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster?* Et iterum: *Fiat Pax in virtute tua.* Et tertiò *Deus à quo Sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: Da seruis tuis illam quam mundus dare non potest Pacem.* His vocibus plena sunt Templa, Oratoria & Chori. Hæc est Vox Sacerdotum inter Templum & Altare gementium: Nazarenorum, siuè Religiosorum, tibi consecratorum: Sanctimonialium in luctu & pœnitentia agentium. Virginum & Viduarum ad Te clamantium. Vox est Cleri, Vox populi, Vox puerorum, Vox Senum cum iunioribus: & cœli fores, ne ad intret, & obseras? Pulsat, intrare volens ad aures Domini Sabaoth, Domini exercituum; & inaniter sinis aërem verberare, ita vt facti simus velut Cimbalum tinniens, aut

& sanguinis Christi esse debere participes si Pacem & gratiam, & gloriam velimus cum eo consequi, subijcitur illa Pacis precatio. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis Pacem.* Quæ precatio ad illum dirigitur, qui *venit pacificare per sanguinem, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis*. Ecce vbique Pax nominatur.

Postremò, iam ad finem Liturgiæ procedens & ad Communionem Sacrati corporis pergens, Sacerdos, hanc præmittit orationem, Pacis etiam nomine inclytam: *Domine qui dixisti Apostolis tuis, Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris.* Et, vt cuncta colligam: quid aliud est Communio subsequens, nisi Christianæ Pacis & vnitatis mysticum Symbolum? Ecce Pax & Pax, & septies Pax, repetita quotidiè in centenis millibus Sacrificiorum, per totum orbem terrarum: & votis fraudamur? Si nubes peccatorum nostrorum sese opponit & impedit, ne hæc ascendat ad te oratio Domine; dissipa nubem potens es enim, & ostende tandem nobis Pacem, dispesce caliginem, & ostende nobis lucem.

Quia semel cœpi, loquar iterum ad Dominum meum. Obsecro, Domine, ne irascaris si adhuc semel loquar. Iustus es, si disputem tecum. *Verumtamen iusta loquar ad te.* Quare obliuisceris Legationis tuæ & Nominis tui? Nonne missus es à Patre vt Angelus & Legatus Pacis? Nonne de te scriptum est: *Ecce veniet ad templum Sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis?* Quid est *Angelus Testamenti*, nisi Angelus magni consilij, nisi Angelus & Legatus Pacis & fœderis? Imple igitur nomē tuum, imple officium tuum, & inuocatus tot votis veni ad Sanctum Templum tuum, & agnoscaris, non solum vt PACIS ANGELVS, sed & PRINCEPS PACIS.

Nonne iterum de te scriptum est: *Quam pulchri super montes pedes annuntiātis & prædicantis* PACEM, *annuntiantis bonum, prædicantis salutē?* In ortu tuo PACEM nuntiasti, in progressu, in Vita, in Morte, in Resurrectione, in Ascensione; ideò & illam à te petimus & repetimus *vt sciat populus tuus Nomen tuum in die ista.* Qui olim Deus Exercituum, Deus Sabaoth vocabaris; mutasti nomen, nec vltra, hoc nomine nisi semel in omnibus Noui testamenti libris, ni fallor nominaris; sed nominari vis DEVS PACIS, quo te frequenter nomine compellat tuus Apostolus. Cur te tot annis experimur *Deum Exercituum*, cum te inuenire optemus DEVM PACIS? Imple Nomen hoc tuum, imple Apostoli tui votum in nobis, sic omnes alloquentis: *Isa. 52.*

DEVS PACIS *sit cum omnibus vobis.* *Rom. 15.*
DEVS PACIS *Sanctificet vos per omnia.* *1. Thessal. 5.*
DEVS PACIS *& dilectionis erit vobiscum.* *2. Cor. 13.*
DEVS PACIS *Det vobis pacem sempiternam in omni loco.* *2. Thess. 3.*
DEVS PACIS *Conterat velociter Sathanam sub pedibus vestris.* *Rom. 16.*

Ita, ita velociter contere, ô DEVS PACIS, Sathanam sub pedibus Regum, & sub

3. Reg 5. pedibus nostris; vt sub eorum Sceptro & Diademate pacifico, verificetur idem quod tempore Salomonis, Pacifici Regis: *Non est Sathan, neq; occursus malus in circuitu.* Propter gloriam nominis tui, ô DEVS PACIS, da Pacē in diebus nostris. Propter fratres meos, proximos meos, loquebar pacē de te, & illam petebā à te. Petij, peto, petam, obnixè, flebiliter, humillimè. Et si apud te Causidicorum verbis vti licet, & eorum more agere: Petij, Peto, Petam *instanter, instantius, instantissimè.* Obtestabor Te, protestabor apud te, detestabor peccata mea & Plebis tuæ corā Te, donec exaudias, donec subueniat misericordia tua; sublimis misericordia tua profundæ miseriæ nostræ. An poteris despicere preces ita humiliantis se, ita instanter compellantis Te, & clamantis flebiliter ad Te? Quid vltra faciam? Apprehendam te, O CHRISTE, tanquam fratrē meum, & filium domesticum Patris ac Matris meæ, *apprehendam, inquam, Vestimentuum tuum*, & dicam sicut olim Israelitæ afflicti bellis & contriti: PRINCEPS ESTO, NOSTER, RVINA AVTEM HÆC

Isa. 3. SVB MANV TVA. Nec mihi respondere poteris: *Non sum Medicus, & in domo mea non est Panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi.* Te etenim Pater vnxit, signauit, & sanctificauit, vt regnes super nos. Te promisit, & in mundum misit, indutum veste nostra, indutum decore & fortitudine, vt medearis malis nostris, vt Pane nos reficias, vt veste tegas, vt in Pace nos contineas, donec ad Panem, vestem, Pacem pertingamus Æternam. Iterum repeto: Apprehendam cum septem mulieribus Propheticis vestimentum tuum, & dicam cum illis mystico eloquio.

Isa. 4. *Inuocetur tantum nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrū.* Opprobrium, inquam, populi tui Christiani hactenus sanguine mutuo nimium, heu, conspersi, quasi non esset à te vnctus oleo Sancto Pacis, & chrismate sanctificationis & charitatis; quæ non potest consistere, cum inundatione crudeli tanti cruoris. Inuocetur ergò nomen tuum super nos, & vnctio tua sanctificet nos, & agnoscaris PRINCEPS NOSTER, PRINCEPS ET DEVS PACIS. Sic erit & *Germen tuum in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel.*

An aliquid vlterius à me requiris? Apprehendam pedes tuos, sicut Sunamitis pedes Elizei, in mœrore cordis mei & in amaritudine animæ meæ, & dicam idem

4. Reg. 4. quod illa: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te.* Nō poterit vllus Giezi me à pedibus tuis amouere, nisi impetrauero quod obsecro. Scio quod aures habes in pedibus (magis quam Rex Siculus) & ibi inclinatos exaudis; illis igitur inhærebo. Nec solum cum Sunamitide, sed etiam cum Magdalena apprehendam pedes tuos, & illos lachrymis rigabo, tergam, exosculabor, tenebo, donec illud audiam ex ore tuo quod illa: VADE IN PACE. Nunquid non tandem tanta votorum & precum mole pressus, & conuersus ad nos, LOQVERIS PACEM SVPER PLEBEM TVAM, ET PLEBS TVA LÆTABITVR IN TE? Fiat. Fiat. Benedic populo tuo in Pace, benedic hæreditati tuæ Domine. TV QVI REGIS ISRAEL INTENDE, QVI DEDVCIS VELVT

OVEM

OVEM IOSEPH. Intende, inquam, & effice vt hæc benedictio quam postremam dat scribens ad Hebræos, Epistolæ suæ coronidem addens Apostolus Paulus, reperiatur in populo tuo, & in grege Ouium tuarum:

DEVS PACIS

QVI EDVXIT DE MORTVIS PASTOREM MAGNVM OVIVM, IN SANGVINE TESTAMENTI ÆTERNI. D. IESVM CHRISTVM APTET VOS IN OMNI BONO, VT FACIATIS EIVS VOLVNTATEM, FACIENS IN VOBIS. QVOD PLACEAT CORAM SE, PER IESVM CHRISTVM CVI EST GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM AMEN.

VERSVS SEPTIMVS

Posuisti nos contradictionem vicinis nostris & inimici nostri subsannauerunt nos.

SECTIO DECIMAQVARTA

Docet quod non sit insultandum inimicis cum irrisione.

SOlent victores victis, affligentes afflictis, opprimentes oppressis cum ludibrio insultare, & opprobrijs ac sannis eos traducere. Hoc ex sacris & prophanis constat litteris, pluribus exemplis. Audiamus nonnulla.

Propterea Hieremias in Threnis describens vastitatem à Chaldæis inflictam Hierosolymæ, & illius mœrorem, dicit: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem dicentes: Haccine est vrbs perfecti decoris gaudium vniuersæ terræ?* En iocus amarus & opprobrio plenus: Et rursus subijcit: *Aperuerunt super te os suum inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deuorauimus: En ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.* An non hic insultatio crudelis, & ludibriosa, qua eam inexplicabili mœrore conficiunt. *Thren. 2.*

Quid, quod ante bellum & victoriam quandoque sibi insultant Duces, irrisione & subsannatione amara? Ioas Rex Israel cum prouocaretur ab Amasia Rege Iuda: Respondit: *Carduus Libani misit ad Cedrum Libani dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntq; bestiæ saltus quæ sunt in Libano, & conculcauerunt Carduum.* Quid probrosum magis & irrisorium poterat dici? Contemptum vocat Amasiam Carduum, humilem, vilem & aculeatum, se autem Cedrum excelsam, quam nec Carduus ille debeat adspicere, nec viribus se illi æquare, aut dicere: *Da filiam tuam filio meo vxorem.* Quod idem est ac si diceret. Subde Regnum tuum Israel Regno meo Iuda, vt olim sub Dauide fuit illi subditum, & copulatum quasi coniugio. Deindè subdit, quod milites sui erunt veluti bestiæ saltus *4. Reg. 14*

Libani, quas conculcare debent Carduum hoc est Regem hunc nimis arrogantem. Quod quidem minatus & benè ominatus perfecit. Aliter successit Naas Regi Ammonitarum, qui cum ascenderet pugnaturus aduersus viros Iabes Galaad, & illi precarentur: *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi*; Ille irrisione amara & crudeli respondit: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponamq́; vos opprobrium in vniuerso Israel.* Quid arrogantius & sæuius? Sed Saule exercitum cogente, cæsus est vsque ad internecionem.

1. Reg. 11.

Cur prætermittam quæ circa Dauidem gesta sunt. Hic circumdabat Arcem Sion à Iebusæis occupatã. Dictum est ei. *Non ingredieris Dauid hic nisi abstuleris cæcos & claudos.* Contemptim & probrosè id ei responsum est. Erant autem vt nonnulli opinantur Imagines cæcorum & claudorum in muris effictæ, vt per eas significarent, Iebusæi, Arcem Sion ita esse celsam & munitam, vt eis nihil agentibus à statuis illis defendi valeret: vel vt alij volunt, cæci & claudi milites quibus in prælio effossi erant oculi & tibiæ fractæ, à Iebusæis collocati erant in muris, & turribus altissimis Arcis Sion, ad hostilem irrisionem Dauidis & Sarcasmum. Sic vides in his omnibus verum esse. *Inimici nostri subsannauerunt nos.* Sed eos postmodum Dominus dedit in opprobrium.

2. Reg. 5.

Intolerabilis quoque fuit vox Regis Assyriorum, alijs Regibus & populis exprobrantis, sed maximè populo Iudæorum, illis subactis. *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & Principes eorum detraxi quasi potens in sublimi residentes.* En quanta arrogantia in Deum redundans! Sed audi postmodum probrosum scomma militare, arrogantiæ & contemptui coniunctum. *Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum. Et sicut colliguntur oua quæ derelicta fuerunt, ego vniuersam terram congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & gannirct.* Quid arrogantius pro se, quid contéptibilius pro alijs poterat pronunciare? Sed visitauit Dominus fluctum spumantem, & fructum amarum magnifici cordis eius, & altitudinem oculorum compescuit & depressit.

Isa. 10.

Notum est & de Spurio Goliath insultante Dauidi (quasi puero imbelli & inermi, imo quasi cani mox morituro) & exprobrante ac irridente acies Dei viuentis, cui respondit Dauid: *Tu venis ad me in gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea.* Quod accidit, quia probrosè vt canis mortuus est, & verum fuit illud.

Ille Gigas pueri funda Pastoris obiuit:
Traiectumq; cauo terebrauit vulnere frontem.

De quo eleganter dixit S. Ambrosius: *Dauid, perterritis omnibus, allophyli impetum lusit, & singulari certamine belli & totius prælij pondus excepit virtute sua solus, commune crimen refellens, & totius retorquens in hostem plebis opprobrium.* Hæc S. Ambrosius.

Ambr. serm 17. in ps. 118.

Notum

Notum est & de Tribunis & Ducibus exercitus Nabuchodonosoris irridentibus Hæbreis: *Ecce Mures egressi sunt de cauernis suis, & ausi sunt prouocare nos ad prælium.* Hi tamen Mures fugarunt eos probrosissime, & suffoderunt omnem virtutem Exercitus eorum. Iudith. 14

Sic & Samaritani subsannabant Iudæos Jerusalem reædificantes, & dicebant 2. Esdræ 4. Quid faciunt imbelles Judæi? *Nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris combustis? Ædificent. Si ascenderit vulpes transiliet murum eorum lapideum.* Erat amara hæc irrisio, de qua conqueritur Nehemias: *Audi Deus noster quia facti sumus despectui, conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos eos in despectionem in terra captiuitatis, quia irriserunt ædificantes.* Certè Deo iuuante vna manu ædificantes & altera bellantes, ædificarunt muros, & hostes despexerunt. Similibus exemplis exprobrantium, qui tamen ceciderunt in opprobrium, refertæ sunt paginæ Sacræ.

Propterea Psaltes nomine populi Dei sæpè conqueritur de hostilibus opprobrijs, petitque supplex à Deo illa auerti, & in caput hostium retorqueri. Audi eius quærulam vocem Psal. 43. per varios versus: *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in similitudinem gentibus & commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.* Vide & considera quoties id repetit, quia mirum in modum hoc cor eius lancinabat, & mœrore afficiebat. Idipsum est quod hic reperit cum gemitu.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris:
Et inimici nostri subsannauerunt nos.

Eandem querimoniam deponit Ecclesia apud Deum de hostibus suis, qui non contenti eam atterere bellis, direptionibus, depredationibus; etiam sannis & irrisionibus illudunt amarulentis; & thrasonismis non sanæ mentis. Audiuimus hæc sæpe auribus nostris, & oculis videmus etiam nunc.

Hostis Ecclesiæ infensissimus Lutherus, dum mirè Germaniam turbasset, & tenebris ac confusione replesset, docuit esse contra libertatem Euangelicam Magistratus ac Superioritates Principum. Exindè Populi armati steterunt contra Nobiles, ita vt dirutis Castellis plus trecentis, magnum numerum Nobilium, Comitum, Baronum internecioni dederint. At postmodum Nobiles coniuncto Marte & viribus, vltra ducenta millia Rusticorum igne & gladio absumpserunt. Ridebat interim in suo hypocausto Lutherus temulentus sannio, & sibi cœlitus dicebat pro elogio datum: *Non veni Pacem mittere, sed gladium.* Et hanc asserebat esse Euangelij naturam, bella mouere & seditiones. Et quid non scommatum intorsit in Summum Pontificem, & Ecclesiam, ausus dicere & scribere ante mortem suam: *Pestis eram viuus, moriens ero mors tua Papa.* Quod & eius sepulchro adscriptum est à suis discipulis

lis aut ſequacibus. Vide opprobriũ & dementiam in caput eius redundãtem. Quas non ſubſannationes & inſanias euomuit in Academias Catholicas, maximè Pariſinam? Dixit illam eſſe Lepram hæreſis in capite, veram & vltimam Aulam Antichriſti, Matrem erroris in Chriſtianiſmo, Adulteram maximam ſpiritualem, Oſtium poſterius, ſiuè poſticum inferni. Quid non in Legiſperitos & Canonum Doctores? Dixit Leges & Canones eorum eſſe Aſinina ſtercora, & ipſos eorum eſſe Collectores, quibus Eccleſiam conſpurcarent. Quid non de Ordinibus Religioſis? Dixit eſſe crepitum ventris Sathanæ: quod quidem ſcomma in poſtremã Societatem Religioſorum ſub nomine Ieſu ſibi cœlitus aduerſam euomuit, fœdus & ſalax Propheta, omnis pietatis hoſtis. Ecce quomodo veri Dei cultores poſiti ſunt in contradictionem, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos? QVI PASCIS ISRAEL, INTENDE. Hoſtis Eccleſiæ ſuccedaneus fuit Caluinus, ad maledictionem & irriſionem non abſimiliter pronus, qui cum Heluetianos ſiuè Suizeros Cantones aliquot in errore firmaſſet, quaſi *Angulos populorum*, auſus ſibi fuit illud attribuere pro elogio in opprobrium Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* En veſania Thraſonis reprobi, alijs reprobantis. Sic & Rex primus Anabaptiſtarum homo vilis, ſed tumidus, pro ſtemmate Biblia & Gladius proferens dicebat *Gladium Gedeonis* ſibi à Deo commiſſum, ideoque aſpergendum eſſe cruore eorum, qui ſuæ ſe doctrinæ opponerent. Vlterius progreſſus eſt Ziſcha Tyrannus Bohemiæ, Huſſitarum & Taboritarum Protector, qui cum aduerſus MAXIMILIANVM Imperatorem aliquot potitus fuiſſet victorijs, morti iam vicinus, Bohemis ſuis inaudita inſolentia hæc mandauit: *Volo vt à morte mea, & pelle mea Tympanum à vobis fiat, quo contra hoſtes ad prælium procedatis, vt illi vel ſolo illius ſonitu terreantur.* Ecce arrogans inſania, arrogantia inſana, qua inimici noſtri ſubſannauerunt nos. TV QVI REGIS ISRAEL INTENDE.

Florim. Rem. l. 3

Sed veniamus ad noſtra tempora. Quot poëmata, quot cantilenæ & Libelli, quot emblemata, quot Icones publicæ proſtarunt in Batauia & alijs Prouincijs, durantibus tot annorum bellis; quæ quidem omnia ſannis erant referta, & in deriſum Regum & Principum Catholicorum efficta, non ſinè procaci & indigna petulantia ac arrogantia. Extant & modo Calculi ſiue nummi ærei ad numerandum & computus faciendos efformati, in quibus ex vna parte Leo ligatus Loris cernitur, & Mus Lora eius corrodens adpingitur, cum hac circumſcriptione. ROSIS LEONEM, LORIS MVS LIBERAT.

Ex altera parte pinguntur Summus Pontifex & Rex Catholicus cum nouo Loro, inijciendo Leonis collo, manu & adblandientes vt approximet, ſed circumſcriptio iſta ſubijcitur: LIBER REVINCIRI LEO PERNEGAT. Ecce quomodo facti ſumus in deriſũ, & inimici noſtri ſubſannauerũt nos. QVI REGIS ISRAEL, INTENDE. Arrogantius ac inſolentius ſe geſſit Chriſtianus Brunſuicus dictus Halberſtat, Catholicis infenſiſſimus, qui monetã cudi iuſſit in qua inſculpſit

pro

pro stemmate Brachium minitans, cum aculeato flagello, & circumscripsit pro elogio: FLAGELLVM SACERDOTVM. Verum suæ impietatis tandem debitas luit pœnas, non sinè prouidentia numinis, dum ei in prælio explosione bellica brachium fuit amputatum; ex quo vulnere infœliciter occubuit, expertusque est illud: *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Prou.19.

Non absimiliter, Batauí, vt deriderent Catholicos Sacerdotes, & maximè Archiepiscopos Coloniensem, Treuirensem, & Moguntinum, Imperij Electores, qui ditionem suam circa Rhenum habent, munitionem sibi erexerunt in Rheno, inter Coloniam & Confluentiam, quam intitularunt *Ocularia Sacerdotum*, siuè idiomate suo, *Papenbrille*. Ecce rursus derisio & insultatio. Tu qui regis Israel intende, quia facti sumus opprobrium vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos.

Illud quoque non est hic prætereundum de Batauis ad derisionem promptis. Aduenerat recens in Belgium Serenissimus Cardinalis, Hispaniarum Jnfans, vt gubernacula susciperet. Illis volupe fuit Jconibus ære incisis depingere Jnfantem in cunis imbecillum, fasciatum, vagientem; vt sic deriderent eum, & eius Arma, quasi non foret eis bellum, nisi cum infantilibus cunis primo impetu euertẽdis. Ad hunc effectum prodit acies numerosa à Batauia & Gallia iunctim, ceruicem & cristas erigens, calcaria ostentans, alas expandens, ore in prædam hians, ad cuius occursum totus Belgicus Leo pauitaret. Aggreditur & vastat Tillemontium, Disthemium ad deditionem cogit, Louanium decendia obsidione premit, & spe deuorat. Verũ Infantis Regij Phalangibus conuocatis, & auxiliaribus copijs aduentantibus, cogitur fugam capessere Louanio, Disthemium à tergo relinquere, Tillemontium ignominiosè deserere, vbi cælum cum terra impiè in triumphum duxerat. Fugitans exercitus ille partim atteritur à milite insequente, partim à Rustico insultante, multis internecioni datis, donec in viscera Batauiæ se recepit, & suis se remersit latebris. Hic fuit fructus amarus derisionis, in deridentium guttur reuersus; vel magis fructus fuit in Tillemontio exercitæ impietatis. Hinc & ille versus in eorum etiam derisionem prodijt:

Cattus cum Gallo cunas premit agmine facto;
Dum vigil est Infans, hic tremit, ille fugit.

Sed vt quid hæc omnia, ore vel calamo, stylo vel penicillo, vtrimque cum vanitate iactata dicteria? Sapientius inter antiquos quidam Mœnon Dux egregius, bellum gerens contra Alexandrum. De quo refert Plutarchus, quod cum die quodam audiret vnum ex suis militibus, conuitia, scommata, maledicta in Alexandrum iaciẽtem virulenta lingua, eum non solum repressit, sed etiam hasta percussit, dicens. Ergo te alo vt contra Alexandrum pugnes, non vt probris, conuitijs & maledictis eum afficias. Significabat non esse arma strenui militis, dicteria & probra in hostes iacta, sed potius vilis & abiecti animi signa.

SEC-

SECTIO DECIMA QVINTA.

Continet Adhortationem ad Leodienses pro Pace.

SEd quid externis tam diu immoror, ad te vocem conuerto, ô chara Patria mea LEGIA! conuerto ac mœrorem, qua vereor ne tandem tristi, & funesta digna fias ELEGIA. Nûquid & tu potes dicere Domino cum gemitu: POSVISTI NOS IN CONTRADICTIONEM VICINIS NOSTRIS, ET INIMICI NOSTRI, SVBSANNAVERVNT NOS: Inimicos nullos habes, quæ Neutralis es, nisi quod foues in visceribus tuis, qui te intestino tormine & turbine exagitantes, contradictiones suscitant, scissuras, cædes sanguinolentas ad ruinam tandem & exitum tendentes. Dicam cum Apostolo; *Vtinam abscindantur qui te conturbant*, qui pulchritudinem tuam deturpare, magnitudinem deturbare, libertatem oppignorare velle videntur. Illi gloriam tuam trahunt ad tumulum, quicumque suscitant & fouent in te tumultum. Fœlix & Florida fuisti, *quasi Regina sedens super aquas*, quamdiu concordiam fouisti; quid in te valuerit discordia, iam sæpius es reperta, vt ideò Muris ciuicæ domus tuæ illud inscripseris præclarè:

Stare diu nescit, quod non fulcitur ab alto:
Et discors in se regnum durabile non est.

Lege illud, ac intellige, & menti altè reconde, & caue ne dissensiones tuæ intestinæ, te vicinis dent in contradictionem & prædam, inimicis in subsannationem, & Neutralitatis tuæ ac libertatis Gemmam prætiosissimam in discrimen adducant. Facile est vt vicinarum Prouinciarum diluuium agro tuo super fundatur, & quidem irreparabili damno.

Attende illud: *Exterorum consilia, Legiæ probrum; Exterorum auxilia aut præsidia, Legiæ interitus.* Si diuisionem facis aut lædis authoritatem Principis, scindis Pallium Samuelis, & perdis Regnum Israëlis. O inclyta Legia, Clero spectabilis & splendidida, à Regibus & Principibus honorata, time laqueum venātium, time aucupium & inuolucrum. Erige oculos & pennas, & dic cum Sapiente *Frustra iacitur rete antè oculos pennatorum.*

Prou. 1.

Reuoca Pacem, firma Concordiam, odi dissensionis genium, tibi calamitosas nubes attrahentem & lutum. Et quidem tale lutum, quod facilè nemo poterit euertere, vt tibi reddat splendorem pristinum. Hæc ad te, & pro te, LEGIA, chara Patria mea, ex intimo animi mei sensu, ne incidamus tecum in hunc versum gemebundum, quem explano: POSVISTI NOS IN CONTRADICTIONEM VICINIS NOSTRIS, ET INIMICI NOSTRI SVBSANNAVERVNT

NOS. Item ne incidamus vltra in illud, *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant*: Et illud: *Residuum aranea comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo*. Et cum pro Pace stet hic libellus, & sit ad Deum Pacis Legatus; ideò illam Tibi & omnibus apprecans hoc votum repeto, & in cœlum eiaculor ad Deum Pacis: DOMINE OSTENDE NOBIS PACEM.

Isa. 1. Ioel. 1.

Da Pacem nobis, Rhenumq;, Mosamq;, Sabimq;,
Tuta Peregrinus reddito, redde suis.
Legia sit Pacis consors, quæ turbida sensim
Interit, exitio proxima facta suo.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar, ô LEGIA, Pacem de te. Propter domum Domini Dei nostri quæsiui bona tibi. Nemo ergo ob id succenseat mihi, ô chara Patria mea! Si tibi fuerit Pax, erit abundantia in Turribus tuis, & in Templis tuis, & in littoribus tuis, & in Domibus tuis. FIAT FIAT.

VERSVS OCTAVVS.

Deus Virtutum conuerte nos, ostende faciem & salui erimus.

SECTIO DECIMA SEXTA.

Continet Versus istius ampliorem Explicationem.

Repetitio est versus intercalaris, qui antea præcesserat. A Domini autē conuersione ad nos, nostra pendet ad eum cōuersio: ab eius auersione nostra perditio venit, & æterna auersio; ab eius facie conuersâ nostra pendet salus & vita; ab eius facie auersa, mors imminet & ærumna. Hoc vtrumque expressit scitè Sapiens: *Indignatio Regis, nuntij mortis. In hilaritate vultus Regis, vita; & clementia eius quasi imber serotinus.* Sicut ergo lucidus & serenus, hilarisq; ac lætus vultus Regis, subditos erigit, allicit, exhilarat, adeò vt eius vitā, siuè florem lætitiamq; vitalē afflare videatur: Et sicut ecōtrà vultus eius iratus subditorū animos consternat, pauidosq; efficit, ac velut quandā mœroris mortē adspirat: Ita est in Deo Rege Immortali & Æterno; eius vultus iratus & auersus, mortē parit; sicut serenus & benignus vitā affert & lætitiā. Hoc ergo vult iste versus repetitus: *Domine Deus virtutū conuerte nos, ostende faciē tuam & salui erimus.* Rursus, sicut sol radijs suis se ad nos & terrā conuertens, omnia fouet, & vitā quandā rebus omnibus lætitiamque infundit, si verò retrahit iubar suum & radios, mœror quidā ac languor, morbi & mors, subsequi vidētur: Ita & Deus dum oculos suos benignos & radiantes ad nos conuertit, fugat caliginē mœroris, & amœnitatē parit ac lætitiam cordis: Si verò illos retrahit, non remanēt nisi tenebræ, & tristitia

Prou. 16.

F mortis

minantes, nil nisi spinas possunt inuenire: Hoc ergo votũ est meum, vt veniat tẽpus Pacis, & sic fœlix satio vtriusq; seminis, vtq; vtrique satores venientes veniant cum exultatione portantes manipulos suos, & illos Deo Pacis consecrent. Hoc votũ exaudi Deus, & conuerte nos, & cõuertere ad nos, & ostende faciẽ tuã, vt salui esse possimus, & te Deum virtutum, Deum omnis potentiæ adorare, & in æternũ laudare.

VERSVS NONVS ET DECIMVS.

Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius, & impleuit terram.

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

Declarat quod hæc vinea sit Ecclesia à Christo plãtata, & ab Apostolis, Apostolicisq; Viris exculta.

E Tenebris infidelitatis & spinis erroris Ecclesiã suam eduxit Deus, hoc ipsũ est ex Ægypto educere vineã. Et abolito cultu Gẽtili & cæco Deorum inanium, Iouis, Apollinis, Saturni, Bacchi, Mercurij, Iunonis, Veneris, Cupidinis, & sexcentorũ similiũ, eã traduxit ad vnius veri Dei cultum. Plantauitq; vineam hanc suã firmiter, vt per fidei, spei, charitatis fibras ineluctabiles indiuulsè & perẽniter sibi adhæreret, & fructũ expectatum lætanter produceret. Plantauit radices eius valde profundas, valdèq; firmas, quia præuidebat turbines & tempestates, quibus exagitanda erat; sicque prouidebat, vt his nunquam conuulsa iaceret.

Nempè Domino cõueniebat illud Moysis cãtico altè & lætè decantatũ. *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine.* Exod. 15.

Nec erit solũ tibi, Domine, Vinea aut Habitaculũ illa collectio populi quẽ elegisti, sed erit *Sanctuariũ tuũ quod firmauerunt manus tuæ.* Tu in illis sanctificaberis, & ab illo erit omnis sacer cultus tuus, in illis regnabis in æternũ & vltra. Hoc canit Moyses de Populo suo educto de Ægypto, & specialiter à Deo electo. Hoc deinde præcinẽte Moyse populus succinuit, velut in Choro. Et factũ est quodã miraculo, vt pueri, senes, viri, iuuenes maximo numero, vno quasi ex ore, eodẽ inspirati flamine, easdẽ voces & sententias decãtarent: quia licet Moyses præcineret, is tamẽ in tãta turba, à plurimis audiri nõ poterat sinè miraculo. Idem & Maria soror Moysis præcinebat, & cœtus fœminarũ prõptè & gloriosè succinebat, eodẽ spiritu, ad Dei laudes impulsus. Nos de Ecclesia Dei idipsũ canimus, educta ex tenebris & Ægypto infidelitatis, & specialiter à Deo selecta, quam tanquã vineã vult plãtare in Mõte hæreditatis suæ: & tanquã habitaculũ ac Sanctuariũ sibi firmare, vt in ea benè fundata & firmata, nunc possit habitare, & per fidem & gratiam sibi complacere, ac postmodum in æternum per gloriam cum ea regnare in sæculum sæculi, in sæcula sæculorum, & si quid aliquid adhuc possit vltra cogitari aue dici: hoc est, *in æternum & vltra.* Author mirab. scripturæ c. 21.

De hac vinea verum est illud Esdræ 4. c. 5. varijs similitudinibus expressum: *Dominator Domine, ex omni silua terræ, & omnibus arboribus eius elegisti vineam. Et ex omni terra Orbis, elegisti tibi foueam vnam: Et ex omnibus floribus Orbis elegisti tibi Lilium vnum: Et ex omnibus abyssis maris repleſti tibi riuum vnum: Et ex omnibus Ciuitatibus ædificatis sanctificasti tibimetipsi Sion: Et ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam vnam. Et ex omnibus plasmatis pecoribus prouidisti tibi ouem vnam: Et ex omnibus multiplicatis populis, acquisisti tibi populum vnum: Et ab omnibus probatam legem donasti huic quem desiderasti populo. Hæc dicit Esdras pro vinea Domini de qua hic agitur, quæ in sanctuarij pondere ponderanda sunt:* Qui legit, intelligat.

De hac vinea subijcitur: *Plantasti radices eius, & impleuit terram.* Equidem Auctor operis & Dux fuit Christus, sed per beatos Apostolos operis sui vicarios, impleuit terram sacris racemis, & palmitibus inclytis gratiæ & fidei, vt exindè Catholica dicta sit & Vniuersalis Ecclesia.

S. Petrus electus tanquam primus huius vineæ vniuersalis cultor, electus inquam *à diebus antiquis vt gentes per os eius fidem audirent*, de quo edoctus fuit linteo mystico, à cœlo emisso, Orbis Ecclesias primarias ipse fundauit. Jdeò creauit Antiochiæ Episcopum Euodium ad Orientem, cui olim totius Orientis Episcopi parebant. Hi erant vineæ cultores & custodes in illa Orbis parte; Transmisit Marcum discipulum Alexandriam, quasi ad Meridiem, cuius Ciuitatis Episcopus Ægypto, Arabiæ, Æthyopiæ, & parti Africæ præerat: Hic iterum vides Ducem itineris, & multos cultores vineæ, vt impleat terram sacra propagine.

Ad Occidentem præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Jtaliæ, & adiacentium Jnsularum Ecclesias constituit, multis cooperatoribus sibi adiunctis, & specialiter illuc missis, tanquam primis vinitoribus infœlicia germina extirpantibus, vt sacrum vineæ germen exoriretur, & fructificaret in illis populis.

Ad Septentrionem plantauit etiam vineæ huius radices, in Ponto, Cappadocia, Bythinia, Græcia, Dalmatia, Germania; per eos quos illuc destinauit. Agnoscimus enim & exploratũ est nobis, Treuirenses, Colonienses, Leodienses, Namurcenses, & multos alios Belgij populos ad fidẽ venisse per S. Maternum, & socios à S. Petro missos in Germaniã ac Belgium, aliasq; Septentrionis oras; Ecce rursus repeto. Hi fuêre vineæ satores, vt impleret terrã. Taceo de alijs Apostolis vineæ cultoribus, & propagatoribus infatigabilibus ab eo missis, qui Dux est itineris, & Auctor operis.

An non Paulus toto Orbe alis igneis volat, vt huic operæ incumbat, & terram impleat? An non Ioannes Asiam colendam suscipit, & sarriendã pro palmitibus electis? An non Thomas Indiã suo etiam sanguine rigat, vt fructũ ferat? An non Matthæus Æthiopiã professus est ad eundem profectum? An non Andreas Thraciã & Achaiã suo ad id sudore & sanguine perfudit? An non Simon Ægyptũ Euangelica prædicatione peragrauit; & Thadæus Mesopotamiã? An non tandem in Persidẽ peruenerũt vt in vastissimis his & efferatis regionibus vineã hanc propagarent, quæ implere debebat.

bebat terram? Quid commemorem Iacobum Minorem in Iudæa, Iacobum Maiorem in Hispania? Philippum in Schytia, Bartholomæum in citeriore India, indicibili labore semen sacrum vineæ huius serentes, & radices eius plantantes, ac deinde cruore suo illas aspergentes?

O GERMANIA, O HISPANIA, O GALLIA, O ITALIA, O ANGLIA, O BELGICA TERRA, O EVROPA TOTA! Videte quos habueritis Vineæ apud vos cultores, & fidei Satores: *Mementote eorum qui locuti sunt vobis verbum Dei, & eorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*; nec ills estote ingrati, imitamini & pacem, quam viri hi Pacifici annuntiauerunt vobis, quia & de illis scriptum est, *Quam speciosi pedes euangelizantium Pacem, euangelizantium bona*. Non est Pax sine bonis; non est bonum bellum sine Pace. Hi fuêre *viri Pacifici, homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis*, vt cum sapiente loquar. *Per quos Dominus multam gloriam fecit, magnificentia sua à sæculo*.

Heb. 13.

Rom 10.

Eccli. 44.

Nec mirum, quod si Pacifici fuerunt missi ad vineam colendam & serendam, quia vinea ista ad eum spectabat qui per excellentiam PACIFICVS est nominatus, de qua illud scriptũ est specialiter, *Vinea fuit Pacifico in ea qua habet populos; tradidit eã custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos*. Et iterum: *Vinea mea coram me est. Mille tui Pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius*. Multum laborant Interpretes, vt ex Hebræa, & Græca, & Chaldaica lectione explicent quod hic significetur. Sacrum paradigma est, secretum Ænigma, cœlestis vinitoris de vinea à se electa, hoc est de Ecclesia sua. Nobis sufficit ad propositum nostrum, quod hæc sit *Vinea Pacis*, quam *Pacificus* sibi plantauit. Quid est vinea PACIS, nisi vinea fertilissima, delicatissima, quæ fructus suauissimos omnis virtutis, omnis gaudij, omnisque boni abundantissimè produceret; qui proindè *mille argenteis* æstimantur, id est summi & maximi sint pretij. Hæc est iterum quæ paulò antea dixit: *Ego murus, & vbera mea quasi Turris, ex quo sui coram ipso Pacem reperiens*. Vbi indicat omnem suam fortitudinem, & vbertatem, ac fertilitatem, à Pace prouenire, & ab eo qui fecit in ea Pacem. Denique hæc est ea QVÆ *habet Populos*, vinculo Pacis sibi coadunatos & multiplicatos; quia in multitudine populorum, complectitur omnes nationes quæ sub cœlo sunt. Complectitur innumeros electos palmites, Martyres, Confessores, Virgines, & omnis sexus & conditionis Sanctos: qui tanquam vuæ maturæ propinant vinum præstantissimum PACIFICO, meritorum suorum copia & perfectione, omniumque virtutum vbertate, ac bonorum operum productione. Quæ omnia sunt Pacis bona, & ab illa originem suam ducunt; ideoque Pax omnibus deberet esse amata, & discordia omnibus amara.

Cant. 8.

VERSVS VNDECIMVS ET DVODECIMVS

Operuit vmbra eius montes, & arbuſta eius Cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius.

PROSECVTIO DE VINEÆ DILATATIONE.

Oſtendit quomodo Eccleſia, tanquam vinea vniuerſalis, ſe dilatarit.

Dan. 4.

OPeruit montes vmbra eius, quia ipſa adeò excreuit, & dilatata eſt, vt inſtar illius arboris fuerit, quæ deſcribitur apud Danielem oſtenſa Nabuchodonoſori Regi in ſtrato ſuo. *Videbam & ecce Arbor in medio Terræ, & altitudo eius nimia & proceritas eius cœlos contingens. Aſpectus eius erat vſque ad terminos vniuerſe terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Arbor ſanè prodigioſa, cuius ſignificationem nemo ſapientum regni potuit edicere: Solus potuit Daniel, quia Spiritus Dei erat in eo. Significabat ergo interprete Daniele Imperium potens Nabuchodonoſoris, & amplitudine longè lateque patens, ſimulque eius gloriam, & opes copioſiſſimas. Folia erant, Pompa veſtium, Curruum, Militum, Aulicorum: Fructus: Diuitiæ & tributa. Cibus omnium erat in ea, quia Mercatores, Agricolæ, Aulici, ſplendidè ab eo alebãtur & lautè: & quaſi volucres cœli, multi ſub eius imperio in ſublime volabant, & in delicijs cantillabant, apricabantur, & ſibi Regique abblandiebantur. Sed venit vox de cœlo: *Succidite arborem, præcidite ramos, excutite folia, diſpergite fructus, fugiant volucres.* Ecce quam incerta eſt Regum potentia & gloria, ac regnorum ſplendor quam mutabilis & nutabilis, quandoquidem vnus de cœlo ictus, & vnus oculi nictus, vna vox eam ſternere valet & excutere. Non confidant Reges in ſua potentia & gloria, niſi Pace cum Deo & vicinis Regibus ac populis benè fundata. Ludit in orbe terrarum Sapientia de vno ad alterum, prout ſibi libuerit, transferens Regna: & omnes gentes circumluſtrando nunc his, nunc illis tribuit, vel adimit imperia. Succindit arbores celſas, & earum diſpergit fructus & folia, vel permittit vt mole ſua & celſitudine nimia corruant, canente Poëta:

In ſe magna ruunt: Lætis hunc Numina rebus
Creſcendi poſuere modum.

Sed ad vineam noſtram redeo, quam dicimus non abſimilem fuiſſe in ſua dilatatione

tatione incremento, & obumbratione, Arbori Danielis; quandoquidem de ea canat vates: *Operuit vmbra eius Montes, & arbusta eius Cedros Dei: Extendit palmites suos vsque ad Mare, & adusque ad flumen propagines eius*; hoc est instar altissimæ & latissimæ vitis, montes & colles arboresque celsas & Cedros proceras excessit. Hi montes, colles arbores, Cedri sunt Reges & Principes, Optimates, & Sapientes sæculi, quos superauit & sibi subiecit, obtemperantesque fecit, & velut ramis suis protexit & obumbrauit; ac deinde feliciter extendit palmites suos & propagines, ad Maria & flumina remotissima per totum Orbem. Tunc susceperunt Montes *Pacem populo, & colles iustitiam*. Tunc impletum est illud scriptum de Christo, Rege Pacifico: *Dominabitur à Mari vsque ad mare, à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*. Tunc Legati Pacis venerunt, Reges Tharsis & Insulæ, Reges Arabum & Saba, munera offerentes & dona adducentes, coram illo procidentes; tunc visi sunt Æthiopes & inimici, terram pedibus eius calcatam lingentes & exosculantes. *Psal. 71.*

Vis videre vmbram huius vineæ operientem & protegentem montes & colles ac Cedros peraltas? Attende Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, Principem super omnes Gazas eius, sub protectione Philippi sese sistentem; & vt participet vmbram & fructum, & gaudium inter arbusta huius vineæ, sese vsque ad terram & aquam humiliantem, fastu omni & celsitudine deposita. Atque ipse vineæ huic insertus, sociusque *factus radicis & pinguedinis*, nouos palmites & propagines postea produxit in Æthiopia, Legatione functus pro Christo, Apostolus ibi & Legatus Pacis effectus genti suæ. Ibi postmodum suscepit S. Mathiam, & vlterius Euangelij semen propagauit in Arabia fœlici, Taprobana & vniuersa Ærythrâ si credimus S. Dorotheo & Nicephoro: tandemque martyrio coronatus est, & sepulchrum sortitus, quod fidelibus est munimentum insuperabile, barbaros & scelestos fugans, morbos depellens, sanitates operans, vsque in præsentem diem. *Act. 8.* *Rom. 11.*

Attende & Constantinum Imperatorem per S. Siluestrum ad fidem cõuersum, & ad hanc vineã adductũ, vt eius propagines extenderet à mari vsque ad mare, & à flumine Tiberis Romani vsque ad fines orbis terræ. Illius enim & decreto & exemplo postquã ablutus fuit *lauacro aquæ in verbo vitæ*, baptismi sacro scilicet flumine, & Spiritus Sancti flamine, ædificatæ sunt à Christicolis in orbe terrarũ Ecclesiæ multæ, & fides est propagata quoquouersum, ita vt manifestum tunc fuerit de hac Vinea illud: *Operuit vmbra eius montes & colles, & arbusta eius Cedros Dei*.

Sic Bartholomæus Apostolus Polimium maioris Armeniæ Regem cõuertit, & ad fidem adduxit; Remigius Clodouæũ & Clotidem Francorum Sceptrũ tenentes; Gerardus Stephanum Hungariæ Regem; Augustinus Monachus à S. Gregorio in Angliam missus regnantẽ ibi Ethelbertum; Bonifacius etiam ex altera parte Principes Germaniæ oris imperãtes. Nonne tibi videntur tot montes & colles, totque Cedri sublimes humiliantes se sub vmbra & culmine ac protectione huius vineæ? Dumq; horum Regna fidem etiam suscipiunt, & fidei Sacramenta, nonne tot sunt palmites & propagines à mari vsque ad mare sese extendentes? Tunc

Tunc impletum est illud celebre vaticinium Baruch de Ecclesiæ dilatione. *Exurge, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios ab Oriente Sole vsque in Occidentem. Adducet Dominus illos ad te portatos in honorem, sicut filios regni. Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere inæqualitatem terræ, vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei: Obumbrauerunt autem & syluæ & omne lignum suauitatis Israel mandato Dei.* Quid præclarius? Quid proposito nostro dici potest conuenientius? En vinea nostra dilatata, obumbrans cum suauitate & gaudio cætera ligna, frondens, florens fructificans in honorem Dei sui qui hoc nomen ei dedit, PAX IVSTITIÆ, ET HONOR PIETATIS, vt ibidem Propheta asserit.

Barue 5.

Videamus vtinam hanc Pacem, & cum Pace *Iustitiam germinantem cum iucunditate in lumine maiestatis diuinæ, cum Misericordia & iustitia quæ est ex ipso. Tunc cum exultatione poterimus illud* Isaiæ occinere. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam.* Quasi dicat cum congratulatione Vates Christum alloquens; Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, siuè in loco potenti, alto, magnifico, fertilissimo & pinguissimo. Sepiuit eam cœlestibus & diuinis muris, custodia scilicet sua & Angelorum. Lapides abstulit ex ea, idola scilicet & scelera, aliaque impedimenta cultus diuini; & plantauit eam electam vitibus nobilissimis & præstantissimis, & instruxit torculari, & muniuit Turri. Hæc fuit eius prouidentia, benignitas & vigilantia.

Isa. 5.

VERSVS DECIMVSTERTIVS ET DECIMVSQVARTVS.

Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui progrediuntur viam.

Exterminauit eam Aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.

SECTIO DECIMAOCTAVA

Declarat quænam sit hæc Maceria, & quæ destructio Vineæ. Quis etiam Aper eam exterminans.

SEd cogor canticum in luctum vertere. Cum enim hæc vinea sit benè plantata, instructa, exculta, fructus suauissimos & odoratissimos Pacis & Charitatis ferre deberet, & producere vinum coloris, odoris, saporis perfectissimi: successu temporis defecit, & amaros fructus dissidiorum, bellorum, iniustitiæ probrosæ, æmulæ ambitionis, ambitiosæ æmulationis produxit. Sic dum expectantur vuæ; prouenerunt

uenerunt labruscæ. Dum expectantur palmites & propagines fructuosæ, progerminatæ sunt pungentes Spinæ. Dum expectatur dulce vinum mutuæ dilectionis, inuentum est omphacium & acetum plenum amaritudinis. Iudica Domine inter te & vineam tuam, quia iustus es, & rectum iudicium tuum, quicquid iudicaueris inter te & inter eam.

Sed quid dicam? Cum alibi dixeris: *Vinea mea coram me est*; illius omnimodam te curam gerere significans, quid est hoc quod iā queri cogimur coram te: *Destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viā?* Nos scimus & agnoscimus quod omnia quæ facis, iusto iudicio facis: sed cur tutela & protectione, specialique cura populum tuum destituisti, vt eum vindemient, diripiant, & conculcent prætereuntes; sicque varijs iniurijs expositus sit, qui tua custodia deberet esse circumseptus. Eheu, data est vinea tua in prædam & vindemiam probrosam, sine maceria & sepe: Data est nigricantibus dentibus belluarū. Hæc ne sine lachrymis videre, & sine mœrore experiri possemus? Ecce à milite diripiente & diuexāte, & vndique grassante ac furente, Populi & Prouinciæ, Regnaque facultatibus suis orbata lugent in propatulo. Res sanè deploranda, hocce æuo tota penè Europa; quia verum esse cernimus illud Poetæ ob Bellonam vbique furentem & ferientem:

Cant. 8.

Quaque ruit furibunda ruit, totumq́; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Sed maximè luctu & lamentis dignum, quod vineam electam exterminet *Aper de sylua, & singularis Ferus* depascatur eam; ac etiam quod *Vulpes paruulæ demoliantur hanc vineam.* Quæ sunt istæ vulpes, ita dentibus acres, vt demoliri valeant radices Dei manu plantatas? Quis vero *Aper & singularis ferus* hanc vineam ingrediens, vt exterminet, dissipet, dispendat? Edisseram vtrumque: vulpes huic vineæ insidiantes sunt hæreseos sectatores, qui falsæ doctrinæ & vnguibus & dente nituntur vineam istam demoliri & suffodere. Aut sicut *Vulpes Sampsonis*, colligatæ caudis propudiosæ conspirationis, & in illis gerentes facem & ignem incredulitatis, nec non & ambitionis, omnia in combustionem & confusionem hac in vinea nituntur redigere, omnemque illius messem & vindemiam absumere; ideò vinea ista dicitur hic à Psalte *incensa & suffossa*: O rem lachrymis dignam & threnis.

Cant. 2.

Sed maximè lachrymis etiam sanguineis deplorandum vineæ huius cultoribus & amatoribus, quod *Aper ille de sylua & singularis ferus* ingressum. Habeat in hanc vineam, & dentes exacuat, vt totam exterminet, & omnes illius vites & palmites extirpet radicitus. Quid iterum ille, nisi Tyrannus Othomannicus, Imperator

rator Turcus & Truculentus. Iste ergo est qui hic à Vate *Aper vocatur, & singularis ferus.* Chaldeus vertit, *Gallus Siluester.* Hesichius & Suidas, *Lupus Siluestris*: Cyrillus, *Onager Siluestris.* Quocumque nomine tandem Trux ille nominetur, nisi ei occurratur, vineam hanc deuastabit electam; quam magna ex parte iam occupat cum exprobratione palmitum electorum, & exterminatione eorū. Iterum repeto. Nisi ei occurratur, Pomerium Imperij sui cum detrimento fidei & sanguinis Christiani propagabit & dilatabit, vndique cladem & vastitatem illaturus. *Gladius exacutus est & limatus: vt cadat, exacutus est: vt splendeat, limatus* vt cum Propheta loquar. Ecce Christianis Regnis iam ferus eius Gladius incumbit, vt feriat; & rictus eius apertus illis inhiat, vt deuoret. Testis hic sit Insula & Regnum Candiæ nouissimè ab eo occupatum & Christianis ereptum, vbi & vites Christi suffossæ lugent, suffocatæ, incensæ, & ab Apro isto fero exterminatæ. Vbi Templa in Mosquea, Oratoria in stabula, Aræ in profanos vsus conuersæ, sacraq; omnia conculcata, pudorem nomini Christiano ingerunt & mœrorem.

Ezechiel 21.

In Apocalypsi Cap. 9. fit mentio de Angelo Abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon Latinè exterminans: Et subijcitur: *VÆ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc Duo VÆ posthac.* Hic Angelus Abyssi Rex est super omnes filios superbiæ & rebellionis, qui inducit nobis post Tyrannorum VÆ (post calamitates priscorum Ecclesiæ persecutorum) duplex aliud VÆ. Vnum à Mahumetanis, alterum ab Hæreticis. Angelus enim ille exterminator, vtitur infidelibus & Hæreticis vastatoribus in vineam irruentibus; & quidem quandoque irrumpentibus aperto & violento marte, quandoque irrepentibus fraudulenta arte, vt eam decorticent, Sacramenta eius & doctrinam vitiando, Ceremonias sacras irridendo, Radicem veritatis corrodendo, electos Palmites vindemiando & conculcando. De his verum est quod in Apocalypsi ibidem præcedit. *Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam Coronæ similes auro: & facies earū tanquam facies hominum; & habebant capillos, sicut capillos mulierum; & dentes earum sicut dentes Leonum erant; & habebant Loricas, sicut Loricas ferreas; & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, & caudas habebant similes Scorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Ecce numerosi & prodigiosi exterminatores. Sed attende quem Regem & quem Ducem habeant super se, Angelum scilicet Abyssi, qui & Abaddon nominatur Hebraicè, Apollyon Græcè, & latinè exterminans; nec sine mysterio sunt hæc tria nomina, quia tres linguas Cruce Domini sacratas & signatas, si valeret, exterminaret; gentesque omnes electas, hac triplici lingua indicatas, à Christo auerteret & absorberet. Ad quod peragendum Angelus iste execrabilis vtitur maximè rictu atroci Apri exterminatoris & feri singularis, de quo iam dictum est; qui non aliud respirat quam Christi vineam non solum exterminare, sed etiam, si posset, hæredem delere, & eius nomen vbique obliterare; quia planè nomini Christiano est aduersus.

VER-

VERSVS DECIMVS QVINTVS ET DECIMVS-SEXTVS.

Deus virtutum conuertere, respice de cœlo & visita vineam istam:

Et perfice eam quam plantauit dexterâ tua, & super filium hominis quem confirmasti tibi.

SECTIO DECIMA NONA

Inuocat auxilium Domini contra hostes Ecclesiæ & Christi.

MEritò faciem auertit à vinea sua Dominus, quia vinitores, cultores, & Præfecti illius eam vel vecordia, vel discordia neglexerunt; ac otio & desidiæ indulgentes, vel inter sese disceptantes, aditum dedere hostibus & Belluis, vt eam diriperent, & vndiquè conculcarent. Intra decursum vnius sæculi viderunt Christiani Principes huius vineæ tutores, coram oculis suis Thraciam, Græciam, vtramque Mysiam, Rhodum, ab hoste Christiani nominis occupari. Vident & modo Constantinopolitanum, & Trapezuntinum Imperium ab eo gloriante teneri. Quid restat nisi Romanum, cui inhiat auido ore? Interim hæc omnia neglexere Reges ac Principes, Ecclesiæ defensores & protectores, inter se digladiantes; & sic aditum Grassatoribus, Prædonibus, Vastatoribus in vineam istam dantes. Discordijs enim eorum mutuis factum est vt illis non occurreretur, vt nemo se murum opponeret, pro domo & vinea Dei Israel. Audiamus hac de re antiquum scriptorem sic differentem: *Tum Ierusalem amisimus cum Comes Tripolitanus & Rex Ierusalem ciuile bellum inter se gerebant; nostris tunc discordijs ad victoriam suam Saladinus vsus est, Ptolemaidem tum demum subegit infidelis, vbi Pisani & Genuenses mutuis inter se cædibus Christianum militem absumpsissent. Antiochiam ipse Patriarcha vendidit, & prodidit, Græci Turcas in sua Regna introduxerunt, non aliter quam si quis venenū in sua viscera ingerat.* Cessent modo Germanorū, Gallorum, Hispanorū, Britannorū,

Nannius orat. de bello Turc.

Belgarum bella & diſcordiæ; non ita arduum illi occurrere eſt, qui per vim Eccleſiæ ſpolijs diues eſt, qui de Chriſti damno populorum multorum ſeruitute ſubnixus eſt, qui inueteratâ rapinâ iam pro iure habet, quod poſſidet. Qui magna orbis parte, tyrannicè occupata, Europam animo iam verſat, & ſpe deuorat. Meritò cõqueritur Pomponius Lætus de ſuo tempore: *Mali dæmones ſic implicuêre noſtras mentes, vt relictis veris hoſtibus, quos longa pace frui permittimus, in nos, noſtrorumque membra, armatas & ſanguinolentas conuertamus manus. Interim culpandi ne ſint Principes qui ad tam pernicioſum facinus ſtipendia ſoluunt, iudicent alij. Illud auſim dicere, Chriſtianos omnes ſub vno ſigno Crucis militare, noſtram Religionem vnicam eſſe, Rempublicam vnicam, ipſius Dei vrbem: cuius nos ciues ſumus, & bellum inter nos eſſe, neque poſſe niſi ciuile.* Sic loquitur ipſe, ſic loquuntur & alij hac de re aſſerentes. Inter quos quidam noſtri æui Sapiens ſic exclamat, *Proh pudor! Proh ſcelus! Chriſtiani in Chriſtianos ob terræ angulum, ob exigui honoris punctum, internecinis odijs & prælijs inter ſe decertant. A Chriſtianis effunditur ſanguis Chriſtianus, Chriſti ſanguine redemptus. Madent manus Chriſtianæ Chriſtianorum ſanguine, & carnem Chriſtianam Chriſti carni conſanguineam conſcindunt, diſcerpunt. Vbi fides! Vbi ſpes! Vbi charitas! Vbi philadelphia, & amor fraternitatis? Chriſtiani vno Chriſto Patre, vna Eccleſia Matre regenerati & alti, vna fide, ſpe, Charitate ſociati, vnius Religionis vinculo conſtricti, ſeſe quaſi Lupi ſpoliant & laniant. Hæc videt & ridet Turca, ac quaſi Tygris de gleba graminis inter ſe arietantes, occupat, rapit, deuorat. Hæc ille.* Hæc omnia promeruêre peccata noſtra, ob quæ Deus ſe auertit à nobis; ſed noſtris vult votis; ad nos ſuum reuocare vultum ſerenum, benignoſque oculos & aures; Ideò clamamus. *Deus virtutum conuertere, reſpice de cœlo ac vide, & viſita vineam iſtam. Reſpice & miſerere vineæ tuæ*, extermina ab illa vepres vitiorum, exſcinde labruſcas corruptorum morum, purga radices amaritudinem germinantes, & omnia inficientes, elimina ab ipſa *vuas Gomorræ & Sodomæ, fel Draconum, venenum aſpidum*; auerte & contere dentes vulpium, agmen locuſtarum, rabiem Luporum, incurſus belluarum, vt poſſit dicere hæreſi ac infidelitati ei inſultanti: *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: Cõſurgam, cũ ſedero in tenebris. Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo; quoniã peccaui ei: Donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: Educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius. Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me, Vbi eſt Dominus Deus tuus? Quid dicam Domine. Tempus eſt vt ædificentur maceriæ. Ideò reſpice vineam tuam; & viſita eam, & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem; & erigens macerias antiquas, & nouas, pones fundamenta generationis, & generationis nouæ: & vocabitur vinea tua, Plantatio Domini ad glorificandum; & ſemen cui benedixit Dominus. Ita non aliud occinere volo auribus tuis: Conuertere Domine, & viſita vineam iſtam, eradicans palmites & propagines ſpurias, quia promiſiſti: Vitulamina ſpuria non dabunt radices altas. Et iterum promiſiſti: Plantatio quam plantauit Pater meus non eradicabitur. Viſita ergo nos in ſalutari tuo, vt læteris cum hæreditate tua.* Vitulamina ſpuria infidelium eradica: planta plantationem Patris tui, & illam confirma & conſerua. Iterum repeto. Extermina dirum

Pompon. Lætus.

Cornel. Lapide proœmio in Min. prophet.

Mich. 7.

Iſa. 61.

Sap. 4.

Matt. 15.

Pſ. 105.

dirum illum exterminatorem, qui omnia quæ tibi sunt sacrata nititur exterminare; cum iniuria tua, & hæreditatis tuæ. Extermina, inquam, ab ea Angelum abyssi, extermina prædones diripientes eam, & vastatores eam vastantes. Extermina Aprum de sylua, & singularem ferum, & eius compesce ferociam, & cruentos dentes. Ecce cogimur clamare ad te: Ne taceas, neque compescatis Deus. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput; super populum tuum malignauerunt consiliũ, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Dixerunt, Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomẽ Israel vltra.* Hoc enim adhuc modo videntur dicere Ismaelitæ, Agareni, Saraceni, Idumæi, hoc est infideles & Turci, istarum gentium filij Spurij. Maledic tu sceptris eorum, & Capiti Bellatorum eius venientibus vt turbo ad dispergendum nos. *Abac. 3.*

Concludo ac dico. *Veni in hæreditatem tuam*, & visita eam, quam tot infideles conculcant. Nonne hæc est quam plantauit dextera tua Domine? Nonne ô Pater æterne, illam cõfirmasti filio tuo, dum eum fecisti filium hominis? Ergone eam negliges & aspernaberis, ita antea adamatam, & excultam? *Perfice eam*, perfice à te plantatam; refice eam, & restaura è ruderibus suis, quam licet pro tempore vis plectere, non tamen vis perire. Circunda ei sepem & maceriam inuiolabilem. Extrue in ea Torcular disciplinæ sanctæ, & obedientiæ veræ. Erige Turrim doctrinæ pretiosæ ac speciosæ; & cum gaudio illud audiat rursus à te etiam reficiente, & omnibus decoramentis suis perficiente. *Paupercula, tempestate conuulsa; fundabo te in Sapphyris, disponam per ordines lapides tuos, ponam Iaspidem propugnacula tua.* Sicque meminerit quod antiquitus eam plantarit & fundarit dextera tua; quodque filio hominis in æternum confirmata manebit. Ita Domine, FIAT, FIAT. Pro hac te etiam hic libellus orat & laborat. *Isa. 54.*

VERSVS DECIMVS SEPTIMVS.

Incensa igni & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.

SECTIO VIGESIMA.

Declarat quomodo aduersarij Vineæ Domini semper mala morte perierint.

Lvget & iacet in squalore vinea electa, ab hoste & feris ac belluis partim incensa; partim suffossa & conculcata; sed qui eam incenderunt, & suffoderunt, incendentur & ipsi ac suffodientur: iusti numinis ira; exitiali incendio corripientur in hoc sæculo, & perenni igne cremabuntur in altero. Hoc est quod hic dicitur: *Ab increpatione vultus tui peribunt.* A minaci scilicet & seuero illo vultu exterrebuntur, & exterminabuntur, de quo scriptum est. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Vultus Regis Assueri irati si Aman ferre nequit; (ideo velum regio vultui à Regijs famulis ad iram moderandam inijcitur) à facie iræ:

Domini quis resistet? Propterea in Apocalypsi dicitur: *Reges terræ & Principes, & Tribuni, & diuites fortes, absconderunt se in speluncis & petris montium, & dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Quam terribilis est vultus filij hominis, qui describitur Apoc. 1. Lucens & fulguriens flammansque, & Romphæam vibrans bis acutam, cuius & pedes calcant hostes suos, velut in camino ardenti? Certè S. Joannes ad eius solum aspectum exterritus, in solum cecidit, & in faciem suam, totus emarcidus, & velut mortuus. Hanc faciem, eiusque aciem terribilem experientur illi, qui Ecclesiam Dei, Vineam electam Agni incenderunt, suffoderunt, conculcarunt; conculcabunturque in perpetuum, in camino ignis ardentis. Id ergo est quod hic indicatur: *Ab increpatione vultus tui peribunt. Te increpante, te eos puniente & plectente.* Te eos excindente, Domine, pereant necesse est.

Suffoderunt & incenderunt hanc Vineam, Nerones, Maximini, & Maximiniani, Decij & Valeriani, Diocletiani & Maxentij, Aureliani & Hunerici; ac sexcenti alij Tyranni, feritate sua eam non solum suffodere, sed & exterminare funditus conniſi sunt. Ascias & secures, gladios & ignes, ollas & sartagines, furcas & equuleos ad eam exterminandam exacuerunt, & in colonos tota rabie catapulta & supplicia varia intorserunt. Sed quisnam eorum non est cœlesti vindicta sideratus & suffossus, ac infœlicem exitum, exitiumque sortitus, vt hoc ipsum verificaretur nostri Vatis: *Ab increpatione vultus tui Domine peribunt?*

Audi de Hunerico Rege Arianorum, fero Exterminatore ab Angelo Abyssi suscitato ad euersionem Ecclesiæ Africanæ. Hæc sic enarrat Victor Vticensis lib. 2. historiæ Wandal. *Vidit Venerabilis Paulus Episcopus, Arborem vsque ad cœlos ramis florentibus extensam, quæ etiam dilatatione sua omnem penè Africam opacabat. Et cum vniuersi eius magnitudine & speciositate gauderent. Ecce venit subito Asinus violentus, qui defricans ceruicem suam super robur radicum eius, impulsu suo cum ingenti sonitu, illam mirabilem arborem elisit ad terram. Hac Victor.* Schema hic erat euersionis fidei Africanæ. Arbor illa erat Ecclesia Catholica ibi plantata, sublimis & frondens, ac fructificans. Asinus verò violentus & Syluestris Onager, erat Hunericus Rex frendens contra eam, & eam subruens ac vastans, per radices, per Episcoporum & Sacerdotum exilia, & martyria.

Sed quem finem sortitus est hic singularis Ferus? Audi hunc Victorem Vticensem lib. 3. Anno Domini 484. Cum de prostrata fide amens putaret sibi parandum triumphum, diuinam cogitur experiri vindictam. Tenuit sceleratissimus dominationem Regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans: nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis eius videbantur esse sepultæ. Tunc etiam, vt ait Sanctus Gregorius Turonensis. *Sol teter apparuit, ita vt vix ab eo pars tertia claceret:*

Credo

Credo namque pro tantis sceleribus & effusione sanguinis innocui. Hunericus verò post tantum facinus à Dæmone arreptus, qui diu de sanctorum sanguine pastus fuerat, proprijs se morsibus laniabat, in quo etiam cruciatu vitam indignam iusta morte finiuit. Hæc Vticensis. Sic exterminatus est exterminator. Sic perijt à facie iræ Agni, ab increpatione vultus Domini.

Galerium quoque Maximinianum, ferum Ecclesiæ Domini persecutorem, ac vineæ exterminatorem, cœlitus inuecta pœna occupauit. Nam percussus est à Deo apostemate in verecundis partibus, & vlcere pessimo, viscera depascente, ex quo intolerabilis dolor, & pestifer fœtor cum multitudine vermium scaturiebat. Atque cum tantis miserijs colluctatus tandem maleficia in pios homines admissa animo recognoscere cœpit. Deo ergo Creatori illa confitetur, deindè accersitis suis, iubet sinè dilatione persecutionem contra Christianos cessare, & decreto Imperatorio ipsos sua Templa ædificare, consueta officia facere, & in illis pro statu Imperij preces fundere, vt fusius describit Eusebius in hist. lib. 2. c. 18. Sic ab increpatione vultus Domini, miseræ & infœlicis conditionis suæ admonitus luget, & à suis lugetur. Simili morbo & morte absumptus in fœlicem exhalauit animam Valerius Maximinus, singularis & ipse ferus ac Aper rabidus, sæuiens in Christianos, ac vineam Christi Domini exterminans.

Quid de Nerone dicam, primo omnium persecutore? Quid de Iuliano Apostata? Ille propria manu infœlicissimè se confodit, & cum ægrè ageret animam, & in cruore suo nataret, adhuc respirans, vnus ex libertis Epaphroditis eum confecit, eadem die qua Octauiam Coniugem interfecerat, annum agens suæ ætatis trigesimum secundum. At Iulianus cum iam animo statuisset penitus delere & excindere Religionem Christianam, dum reuersus foret à bello Persico, cœlitus ipse sagitta siuè Lancea percussus est & transfixus, inclamans cum rabie in Christum, *Vicisti Galilæe, vicisti*, & suum in cœlum spargens cruorem cum hac voce, *saturare Nazarene, saturare*, execrandam egit animam in tartarum deuoluendam. Sic & in illo, & in sequacibus eius verificatum est: *Ab increpatione vultus tui peribunt.*

Non alium quam infœlicem exitum habuerunt, qui vineam Domini, & eius Colonos persecuti sunt. Nam & Decius inter illos à crudelitate nominatus, iusto Dei iudicio, in solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, vt nec eius potuerit cadauer inueniri; Et Valerianus à Sapore Persarũ Rege captus, ei seruiuit vt scabellum, ad equum conscendendum; & ignominiosissimè apud Persas seruitute consenuit. Aurelianus quoque, qui acerbam impio decreto persecutionem suscitarat, non multò post subita morte mulctatus est. Nolo plures commemorare quia nimis noti sunt, vt noti fiant. Hoc solũ dicere volumus

quia

notiſſimum eſſe debere, quod iuſto Iudici canimus. ***Ab increpatione vultus tui peribunt,*** vineæ ſuffoſſores tuæ.

Et hic tamen addendum pro Colophone, Hæreſiarchis etiam & eorum Protectoribus ſemper infœlicem fuiſſe exitum, illo iudicante, qui ſolo vultu poteſt eos perdere, quia vineæ electæ & incentores fuêre, & ſuffoſſores. Quid acciderit Ario, inteſtina ſua in cloacam ſimul cum anima effundenti decantatum eſt. Quid Caluino contigerit in morte, vermibus non ſolum internis in animo, ſed & externis in carne, fœdiſſimè conſumpto in verendis partibus, & cum execrationibus animam exhalanti, non opus eſt rememorare. Teſtis abundans eſt Hieronymus Bolſecus Lugdunenſis Medicus in eius vita. Nec de Luthero aut Zuinglio mihi mentio facienda, quorum mortem deſcribit Florimundus Remundus; huius in ſanguilento prælio, illius in ſuo quidem lecto, ſed malis genijs circumcincto. Hoc ſolum addo in Ciuitate noſtra Leodienſi notiſſimum de Comite Lumaio, qui in Belgio crudeliter ſe geſſerat in Catholicos, tam Sacerdotes, quam Plebeios, quod rabidi canis morſu, dum Leodium ſe recepiſſet, exitialiter incenſus fuerit, & infœliciter obierit, vt illud Pſaltis de incentoribus vineæ ſemper verum foret: ***Ab increpatione vultus tui peribunt.***

VERSVS DECIMVS OCTAVVS.

Fiat manus tua ſuper Virum dexteræ tuæ, & ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi.

SECTIO VIGESIMA PRIMA.

Declarat quis ſit ille Vir Dexteræ.

PEr hunc VIRVM DEXTTERÆ, accommodè noſtro propoſito poſſumus deſignare Catholici Orbis Summum Pontificem. Hic equidem Filius Hominis eſt, & talem ſeſe agnoſcit, dum in Inauguratione ſua in Eccleſia Sancti Joannis de Laterano (ſecundum antiquum Eccleſiæ morem) ei collocato in Sede Lapidea ſtercoraria, illud Pſaltis canitur. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui*, cum Petro ſcilicet & Paulo in Apoſtolica dignitate, & cum cæteris Apoſtolis, de quibus ſcriptum eſt: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Dicere quoque poteſt, ipſe idem quod Rex Salomon, in ſublimi ſcilicet Solio reſidens. *Sum & ego Homo mortalis, ſimilis omnibus, ac ex genere terreno illius qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro. Et ego natus, communem accepi aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & ſimilem vocem omnibus emiſi plorans, in inuolumentis nutritus ſum, & in curis magnis.* Non eſt ille Supremus Orbis Hierar-

cha

Pſal. 44.

Sap. 7.

cha exemptus, non plusquam alius de plebe, ab illo graui iugo quod est super filios hominum, à die exitus de ventre matris, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium, quia illud iugum omnes premit, *ab eo qui sedet in solio, & vestitur hyacintho, & portat Coronam, ad eum qui sedet in cinere, & vestitur lino crudo.* Eccl. 40.

Sed licet Filius Hominis sit, cui transeunti in humilitatis monimentum lino & stuppa coram eo accensa inclamatur, à Ceremoniarum Magistro: *Pater Sancte, sic transit gloria mundi.* Tamen ad hunc apicem Pontificiæ dignitatis electus ac euectus, gerit vices filij Dei, ab eo cœlitus confirmatus. Hoc ergo est quod pro eo hic obsecramus Dominum: *Fiat manus tua super Virum dexteræ tuæ, & super Filium Hominis quem confirmasti tibi.* Hic est Vir dexteræ, hoc est Vir fœlicitatis & roboris, & Princeps Virtutis, qui meritò illud pronuntiarit: *Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me.* Psal. 117. Huic fœlicitatem & in terra & in cœlo apprecamur; & virtutem ad perficiendum omnia quæ posuit Deus in corde ipsius, & quæ ei ex suo incumbunt munere. Ideò sic pro eo orat Ecclesia, & sua depromit vota publica: *Dominus conseruet eum, & viuificet, & beatum faciat in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* An non his verbis optat, vt sit Vir dexteræ, vir roboris & virtutis, vir fœlicitatis, vt ei omnimodis conueniat Titulus ille celebris BEATISSIME PATER? Rursus pro eo eadem pia vota repetens, precatur Deum, pro eius fœlicitate, robore, & virtute. *Dirige eum secundum tuam Domine clementiam, in viam salutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.* Vides virum dexteræ, manu tamen Domini confirmandum, quia Filius Hominis est, licet gerat vices, ac repræsentet personam Filij Dei in terris?

Hic est vir dexteræ, vir fœlicitatis ac roboris, qui manu sua tenet Clauem Petri ad aperiendum nobis Regnum, & ad remouendum vectes, seras, repagula, ac omnia obstacula ad illud aditum præcludentia. Qui sua etiam tenet dextera Gladium Pauli, quo demetat omnem altitudinem extollentem se contra Deum. Immo tanquam *similis Filio Hominis*, non solum vestitus est podere, & præcinctus decore & fortitudine; sed etiam Rompheam bis acutam suo vibrat ore, vt impios exterreat, & impietatem exterminet. Fiat ergo manus tua, ô Domine, super hunc virum dexteræ tuæ, & super hunc Filium Hominis quem confirmasti tibi.

Hic est iterum *Vir dexteræ*, cuius similem Sanct. Bernardus sic alloquitur. *Tu Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus.* Ac postmodum sic prosequitur, declarans quomodo esse debeat Vir virtutis omnis, omnisque fortitudinis vir: *Considera te oportere esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicum Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Cleri Ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, Refugium oppressorum, Pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum*

cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, Malleum Tyrannorum, Regum patrem, Legum moderatorem, Sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. Fiat ergo manus tua Domine super eum, tua sit cum eo potentia, & sapientia, gratia & beneficentia, dilectio & directio, vt his omnibus titulis honorificis & munijs, possit facere satis. Confirma eum tibi, vt possit cum Filio hominis dicere: *Quæ placita sunt ei facio semper.*

Hic est denique vir dexteræ, vir fortitudinis & gloriæ, in cuius vertice promicat *Corona expressa signo Sanctitatis, Gloria honoris, & opus fortitudinis.* Ipsius munus est Reges & Principes dissidentes conciliare, & dextras dextræ implicare, vt omnẽ suam fortitudinem & gloriam, iunctis & inuictis animis afferant ad Ecclesiæ Sanctæ tutelam & decorem. Vt sint tanquam Leones fortissimi sustentantes Thronum Regis Pacifici, rugituque suo sint hostibus terrori. Nam hoc deplorandum quod *Effusa sit contentio & contemptio super Principes, quæ errare facit eos in inuio, & non in via*: quodque diuisi sint cũ amaritudine, qui circumdare debebant vnanimiter lectulũ Salomonis, & suis eum tutari gladijs contra nocturnos terrores. Iterum dico. Ipsius munus est colligere Heroës & viros bellatores, qui sint instar Iosue, instar Gedeonis, instar Dauidis, instar Iudæ Machabæi & fratrum eius, & miscere cum illis mysterium consilij sui, ad opponendum se hostibus populi Dei, ad bellandum contra eos animo intrepido etiamsi lagenas fictiles oporteat frãgere & collidere, vt lux veritatis & fidei effulgeat, cum Tubis in cœlum vsque personantibus, & infideles percellentibus; ipsius est auxilium de cœlo & terra poscere, vt possit CORNVA LVNÆ Turcicæ vel perimere, vel reprimere, & à se repellere, & vt possit Domino canere. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & spernemus insurgentes in nobis.* Hoc sanè non esset desperandum, si Reges ac Principes, Respublicæ ac inclytæ Ciuitates, depositis inter se dissidijs & bellis, quæ *Mamillam Regum* exugunt, vires in id mutuo fœdere conferrent, fierentque sic iunctim *viri dexteræ Domini.* Ad quod eos adhortatur scriptor quidam nostri sæculi, gnarus & eloquens, in dignitate Ecclesiastica constitutus, sequentibus verbis, quæ nec mihi mutare fas est. Audiamus ergo eum hac Sectione subsequente suis verbis differentem.

Ps. 106.

R. D. Ioannes à Chokier in politicis.

SECTIO

SECTIO VIGESIMA SECVNDA.

Continet adhortationem ad Reges & Principes.

ERgo ô Christiani Principes, positis dissidijs, & leuibus fucacibusque irarum incitamentis quibus illarum ergo inter vos sæuitis, & Europam metu completis, in immanem illum communem Christiani nominis hostem potius arma conuertite. Tot eius cruentas de Patribus vestris reportatas victorias cogitate, miserorum Christianorum Christi sanguine redemptorum præduram seruitutem attendite, fletus amaros & iuges eiulatus audite; sanguinolenta eius in vos consilia frangite. Quamdiu seueritati eius ac potius tyrannidi indormietis! Excitet vos, ô Principes, & moueat longè lateque fusum eius Imperium, quod nisi communi repagulo contineatur, viresque eius confringantur, plus, plusque in dies serpet, & in ditiones aliquando vestras, dissensionibus vestris protendetur. Non arma, non vires desunt, modo postpositis simultatibus firma inter vos stabiliatur societas, qualis quondam Godefridi Bullonij, Roberti Comitis Flandriæ, Hugonis Philippi Galliæ Regis fratris, Roberti Ducis Normanniæ, Ioannis Hunniadis, Matthiæ Coruini Hungariæ Regis, aliorumque Principum verè Christianorum, id est Christianæ libertatis vindicum & defensorum. Tandem inita & firmata eiusmodi societate, Tibi ô Magne Cæsar per Danubium petere licebit, cum Regibus Daniæ, Bohemiæ, Poloniæ Thraciam, & indè fines Constantinopolis, quæ Sedes est Imperij Ottomannorum. Tibi porro, Rex Christianissime cum Magno Britanniæ Rege, Venetis, Heluetijs, Principibusque Italis icto fœdere Brundusium adspirare licebit, vt inde secundis Remigibus in Albaniam & Walachiam penetres, Græciam post illa oppugnaturus. At verò, Tu Philippe Magne Rex Catholice, maiorum tuorum vestigijs insistens, cum Vicario Christi Innocentio Pontifice, vt Sapientissimo, sic Potentissimo, non difficulter Constantinopolim, qua mare spectat adoriri poteris, & quâ fœlicitate PIVS V. cum Auo tuo Philippo II. & Venetis memorabili illa Naumachiâ Selinum. II. profligauit, eadem terra marique de statu sui Imperij Barbarum modò exiges. Sed prius de fœdere inter Principes Christianos ineundo tractandum, adeoque occurrendum simultatibus ac diffidentijs quæ inter Hispanos & Rempublicam Venetam, nescio quo genio foueri solent; quod fiet arctissimis Societatis legibus. Quæ res facultatem habitura esset, si Prudentissimus ac Sapientissimus idem Vicarius Christi in terris, exemplo PII V. S.mi pariter Pontificis, suam interponeret potentiam & authoritatẽ. Cum enim illi filios se Ecclesiæ glorientur, vocem haud dubiè parentis & auctoris tanti boni, quò saltem Pax inter eos coalesceret, audirent. Neque magnitudini suæ officerent, morem gerendo monitis eius, quem culmen obtinere

dignitatum, ac repræsentare personam Christi (per quam ipsi regnant) lubentes agnoscunt. Concurrent hoc sacro bello omnes Orthodoxi, id est Clerus ipse pro modulo suo, Nobilitas, aliique, vt quemadmodum nascente Christo totus iste Orbis tenebris alioqui infidelitatis occæcatus, Pace altissima fruebatur; ita nunc decrescente mundo & ad interitum vergente, pulsis omnibus infidelibus, vbique renascatur Auita fides; & sub vno Catholicorum Pastore, in extrema hac periodo postliminio redeat, vt cū beatis omnibus in Christo Iesu Domino nostro Pace tandē iāpotiamur æterna. Hæc R.D. Ioannes Chokier in politicis suis pro sua erga Ecclesiā pietate, & sapientia. Deus eius votum audiat, nostrumq́ue & piorum omnium. Certè non defuerunt vllo sæculo adhortatores ad Pacem firmandam inter Reges & Regiones Christianas, ad obsistendū hosti, nomini Christiano, & Christo infensissimo; nec ipsi Pontifices maximo numero huic muneri defuerunt, ad Deum & Reges, in id preces & vota conferentes. Præclara est exhortatio VRBANI secundi in Concilio Claremontano Anno Domini 1095. Principes Galliæ ad id exhortantis, in qua inter cætera sic ait. Hæc salutis nostræ incunabula Domini patriam, Religionis Matrem, populus absque Deo, Ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter; & filijs Liberæ extremas imponit conditiones, cum versa vice illis meritò deberet seruire. Gens impia Saracenorum, loca sancta in quibus steterunt pedes Domini, iam à multis retrò sæculis violenta premit tyrannide, subactis fidelibus, & in seruitutem damnatis. Ingressi sunt Canes in Sancta, profanatum est Sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas Gens Sancta & Genus Electorum seruit in luto ex latere Regale Sacerdotium; Princeps Prouinciarum facta est sub tributo, Ciuitas Dei, Templum Domini, de quo zelans eiecit vendentes, ne fieret spelunca latronum: Domus Patris eius facta est sedes dæmoniorum. Ciuitas Regis Regum, quæ alijs regulas intemeratæ fidei tradidit, Gentium superstitionibus cogitur inuita deseruire. Sancta Resurrectionis Ecclesia, Requies dormientis Domini, eorum fœdatur spurcitijs. Loca venerabilia, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, facta sunt Gregum præsepia, stabula iumentorum. Accingimini ergo, & estote filij Potentes, vt pugnetis aduersus infideles: *Quoniam melius est mori nos in bello, quam videre mala Gentis nostræ.* Hæc Vrbanus secundus Pontifex sapientissimus ac pientissimus. Quem vtinam audiant Reges ac Principes, vt victricibus armis, vnanimes conspirent, in Truculentum hostem Christi & Ecclesiæ Christianæ, quæ sub lamentis est ob filios suos dira seruitute ab eo oppressos.

Succedentes Vrbano huic Pontifices, in id etiam pro viribus incubuerunt, inter quos enumerantur Paschalis 2. Gelasius 2. Calistus 2. Lucius 2. Eugenius 3. qui S. Bernardum auctorauit, vt Tuba Sacerdotali, & litteris quaqua versum missis, Reges & Principes, Regiones & Populos ad sacrum Bellum excitaret; & id ipsum fœliciter fecit multis signis & prodigijs editis. Quod autem successus non ita postmodum

modum fœlix fuerit id Ducum diuisioni ac Principum contentioni adscribit in libro secundo de consideratione ad Eugenium Pontificem, & ad iudiciorum Dei abyssum vlterius refert.

Sic S. Catharina de Senis edocta à Deo, Gregorium vndecimum & Vrbanum Sextum Pontifices magno zelo adhortata fuit ad bellum Turcis inferendum. Cumque Pontifex ei responderet id importunum esse in tot Principum Italiæ & aliarum Regionum dissidijs: nihilominus instabat ipsa & dicebat. *Immo nunc maxime opportunum est, quia & id remedium est ad tollenda dissidia, si fœdus sanctum sanciatur, quo omnes paribus animis in communem Christi hostem conspirent. Ibi suos impetus & pugnandi ardores effundent, & ex ratione priuata ponent odia & lites.* Ita ipsa Theodidacta.

Prætereo & alios Pontifices, ac exhortatores alios ad hocce bellum, ne videar limites meos præterire, qui PACIS sum Præco in hoc libello. Nec tamen præterire debeo aliquot versus Vrbani Pontificis Octaui, dum adhuc in Cardinalitia dignitate ageret, id de quo disserimus concernentes. Sic ipse canit ad nostrum aptè propositum.

Nos armet pietatis amor, roburq; ministret,
Vt meritas pœnas gens inimica luat.
Fac precor ô Deus vt coëant in fœdera Reges
Fidentesq; tua nos tuearis ope.
Hæresis infestas frangat tua dextera vires,
Dissipet & Turcas, odrisiasque rates
Tu Deus omnipotens iustis sanguinis vltor
Perde truces hostes, qui fera bella volunt.

Concludo, & Psaltis versum repeto pro Sanctissimo D. N. Innocentio Vrbis & Orbis supremo Rectore: *Fiat manus tua Domine super Virum Dexteræ tuæ: Fiat vtique,* sicut facta est manus Elyzæi Prophetæ super manus Regis Ioas superposita, vt fœliciter dirigeret *Sagittam salutis* contra Syriam. Tu sic etiam effice, vt hic *Vir dexteræ tuæ,* possit iaculari Te dirigente, *sagittam salutis contra infidelem* Turcam & Syriam. Fiat manus tua super illum, sicut facta est super Zachariam prophetam, & ostende illi *Quatuor Fabros potentes conterere cornua Gentium,* quæ leuauerunt Cornu super terram Iuda, vt eam disperderent. Fiat manus tua super illum, *& ostende ei Virum ascendentem super equum rufum, quem sequuntur equi rufi varij & albi,* parati in prælium contra hostes tuos, dimicetur pro gloria nominis tui. Fiat manus tua Domine super eum, sicut super Ezechielem Prophetam, & ostende illi campum magnum plenum ossibus mortuorum, quæ subitò à quatuor ventis congregare potes, ac viuificare;

4. Reg. 13.

viuificare vt ſtet exercitus grandis nimis, validus ac viuidus; vt ſtet pro te, & in arenam deſcendat contra hoſtiles turmas, vt non vltra dicat domus Iſrael: *Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus.* In oſſibus eſt fortitudo hominis, quæ conſiſtit in apta illorum coniunctione; In Principibus viris conſiſtunt vires, & fortitudo Eccleſiæ, aduerſus hoſtes infideles; ſi aptè coniuncti fuerint, fœliciter res cedet; quod hactenus fuerit aduerſus eos bellum imbelle, nonniſi accidit ex Principum & Nationum diuiſione. Dicam igitur, ſic concludendo Poëticè:

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Turcorum gentem, ferroq; ſecare,
Bellipotente manu valeas, & flumina latè
Hoſtibus ex victis fuſo complere cruore;
Sicq; iugo Chriſti ſubmittere turpia colla.

VERSVS DECIMVS NONVS ET VIGESIMVS.

Et non diſcedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Domine virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus.

SECTIO VLTIMA.

ETiamſi manus Dei aggrauata ſit ſuper nos, ab eo tamen haud recedendum eſt, etiam percutiente ac conterente nos eius dextera; quia quando voluerit, commutabit manum, & quæ erat percutiens, erit ſubleuans, & viuificabit ſperantes in ſe. Ideò dicendum cum Iob: *Etiamſi me occiderit in ipſo ſperabo; verumtamen vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus.* Ipſi ergo adhærendum per triplicem funiculum, qui difficile rumpitur, per Fidem, Spem, Charitatem. Recedentes autem à ſe, & hunc triplicem quo ei alligabantur funiculum diſrumpentes, non ſolum ipſe contundit, ſed & confundit. Verba eius & verbera, increpatio & flagella,

Iob 13.

flagella, ad vitã nos inuitant, & ad se nos alliciūt. Si à facie eius abimus, quocumq; ibimus, peribimus. Ab ipso igitur ad ipsum, ab ipso irato, ad ipsum placatum redeamus; aut alias iter exterminij suscipimus, ac morti manus damus. Ideo populus Dei vias eius benè edoctus alibi per vatem inclamat: *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis, & non recessit retro cor nostrū.* Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deū alienum, ipse nos iudicet, ipse nos condēnet a plebe fidelis. Virga eius, licet ferrea videatur, tamen est aurea, est adoranda & exosculanda. Et sub manu eius potenti, nos humiliando, dicendum est: *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.* Decantandum est illud cum tribus pueris in camino ignis: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, sed non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.*

Psal. 118.

Dan. 3.

Hoc ipsum est quod nunc canit Propheta & Rex noster. *Et non discedimus à te, & viuificabis nos.* Eruit Deus suos de portis mortis, & funus in lætitiam, mortem in vitam conuertit, vbi voluerit. Hocce calamitoso æuo in Orbe, possumus illud dicere.

Quocumque aspicio nihil est nisi mortis imago,
Funus cum lachrymis, angulus omnis habet.

Certè vita quam ducunt multi populi, in afflictione amarissima bellorum, non tam vita dicenda est, quam malorum ilias, & mortis agon. Colluctantur enim multi cum morte, colluctantur cum tantis malis, vt præ illis mors eligenda foret, & possunt illud de se dicere: *Collocauit me in obscuris, sicut mortuos sæculi, anxiatus est super me Spiritus meus.* Illud quoque Apostoli: *Supra modum grauati sumus, ita vt nos etiam tæderet viuere.* Quid igitur remedij? An aliquid reliquum est spei? Dicant & adijciant illud ad Auctorem vitæ sese conuertentes, totis animi votis: *Et non discedimus à te, & viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.* Si ambulauerimus in medio vmbræ mortis non timebimus mala, si Dominus nobiscum sit. Et nunquid *non in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos?* Ergo ne derelinquas nos Domine Deus noster, vt magis ac magis te inuocare, agnoscere, diligere teneamur. Etiamsi sint quidam vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, sicut Ægyptij antiqui inclusi sub tectis, fugitiui *perpetua prouidentia, tenebrosæ obliuionis velamento dispersi, parentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati*: Etiamsi, inquam, dixerint: Aruit spes nostra, perimus. Nos tamen Prouidentiæ tuæ adhærentes, non discedimus à te, & ideò viuificabis nos, & inuocabimus nomen tuum. Quia licet essemus velut campus ille Propheticus, plenus ossibus aridis, nouimus tamen te solo verbo, à quatuor ventis, viuificum posse suscitare Spiritum, & nobis nouam afflare vitam, qua respiremus ad salutem. Tu ergo

2. Cor. 2.

Sap.

conuer-

conuertere ad nos, & conuerte nos, quia ad nos tu conuersus, & nos ad te conuertens, viuificabis nos. Hoc nimirum est quod versu hoc sequente, & quidem vltimo huius psalmi exprimitur.

DEVS VIRTVTVM CONVERTE NOS:
OSTENDE FACIEM TVAM ET SALVI ERIMVS.

Hic versus in hoc eodem psalmo, tertiò repetitur, in initio ferè psalmi, in medio, in fine & complemento.

Etenim ad Trinum vnumque Deum, hæc petitio dirigitur, à quo pendet nostra conuersio, à tribus malis quibus inuoluit nos mundus, vt à Deo auertat, & ad exitium trahat. Hæc sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ De quibus canit Poëta:

Ambitiosus honos, & opes, & amica voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Repetitur ergo tertiò, vt à tribus his malis Triadis Sanctissimæ subsidio ac ope liberemur, & vt ad eam, & ab ea conuersi, triplicem conuersionis nostræ fructum consequi valeamus, Pacem scilicet externam, Pacem internam, Pacem æternam. Ita Deus virtutum conuerte nos, & hoc triplicis Pacis triplex munus tertiò exoratus impende, vt Trinitas nostra flebilis & ad te suspirans, increatæ tandem Trinitatis tuæ, cõsortio perenniter valeat sociari. Postremo dicamus, ideò ter repeti, *Deus virtutum conuerte nos*, quia aliqui sunt auersi, alij peruersi, aliqui diuersi. Auersi sunt à Deo qui in noxa lætali agunt. Peruersi directè dicuntur illi qui obstinati & pertinaces in illa persistunt. Sed & diuersos à Deo aptè dixeris eos, qui in venialia delicta motu spontaneo diuertunt, & quasi à latere paululum secedunt ab eo qui est Veritas, Via, Vita, eius voluntatem perfectè non adimplentes. Pro hoc ergo triplici genere postulat Propheta Dei gratiam & fauorem, tertiò repetens. *Domine Deus virtutum conuerte nos*, quia in omni peccato reperitur aliqua à Deo auersio, vel perfecta, & imperfecta, quam hic diuersionem nominamus. Cum Propheta iungamus & vota nostra, & id ipsum sæpè sæpius repetamus toto animi sensu: *Deus virtutum conuerte nos*. Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Quid deinde?

Ostende faciem tuam, & salui erimus.

Iam satis vidimus, te nobis irato, faciem truculentam Martis furentis, Bellonæ frementis, Iouis fulminantis, Æoli reboantis, Neptuni fluctus euomentis, Pluti sulphur igneum eiaculantis, Bacchi insanientis, Vulcani flammas spirantis, Cerberi blasphemiæ spumas in cœlum vsque tollentis; Saturni suas proles & fratres crudeliter deuorantis: Amoue à nobis facies illas truces & horrisonas, & ostende nobis faciem

faciem tuam placatam; propitiam, serenam. Si auertis illam à nobis, *facti sumus similes descendentibus in Lacum*, & conturbati perimus. Si benignus eam ostendis, viuificabit nos, sanabit, saluabit; & læti canemus illud.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, & annis quibus vidimus mala. Obliuioni dabuntur angustiæ priores, & populus tuus Domine antea desolatus, & in caligine agens, in lumine vultus tui ambulabit, & in nomine tuo exaltabitur tota die, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Igitur & hic dicimus.

Tu Lux Eoi ſyderis,
Vultu ſereno illumina.
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.

Tu Dux & Lux noster, respice nos per columnam nubis & ignis, Ignis lucidi, nubis roscidæ, sicut olim populum tuum antiquum; & euerte castra Ægyptiorum aduersum nos contendentium, & aduersum te bellantium: Sicque cum Pace, & tam diu optata Pace, & votis toties iam repetitis, à te postulata Pace, deduc nos tandem de regione vmbræ mortis, ad regionem lucis & pacis. Vbi non amplius leuabit manum, nec insurget Gens contra Gentem, Regnum aduersus Regnum, nec vltra exercebuntur ad prælium. Vbi non vltra decertabit Germanus contra Germanum, Boëmus contra Suecum, Suecus contra Danum, Gallus contra Hispanum, Batauus contra Brabantum aut Flandrum, Italus contra Siculum, Anglus contra Scotum; sed vbique erit quies & PAX imperturbabilis in faciei tuæ visione, in vultus tui luce & fruitione, in Militum laureatorum iubilo & perenni laude. Sic finem Principio iungens illud pro Colophone repeto, & manum de tabula tollo, inclamans:

DOMINE DA PACEM NOBIS:
SERVABIS PACEM: PACEM, QVIA IN TE SPERAVIMVS.

Epilogus

Ad Beatiſſimam Virginem Matrem Pacificam.

TV quoque nostris faue votis, ô MARIA, Regum Regnorumque omnium Domina & Regina. Tu Mater es Sapientiæ, per *quam Reges regnant & Legum*

Conditores iusta decernunt. Digneris nunc Regna tibi ſubdita pietatis oculo intueri varijs collisa contritaque bellis, & Pace firma ac benè fundata beare: ne Chriſtiani populi vlterius in mutuam cædem, mutuumque cruorem exardeſcant, sed potius mutua charitate ſeſe amplectantur. Tibi conuenit, ſicut & Filio, illud apud Sapientem de vtriſque ſcriptum: *Gyrum Cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in omni terra ſteti. In omni gente & populo Primatum tenui, & omnium excellentium corda propria virtute calcaui.* Hoc inquam Tibi conuenit, quamuis ſub Filio & eius fauore. Aſpice igitur nos de Cœlo, cuius Gyrum circuis: Aſpice nos miſeros in profunda malorum & ærumnarum abyſſo iacentes ob bella inundantia: Aſpice in fluctibus proceloſi Maris ventis iactatos & vndis, & manum porrige ſubſidiariam, ne mergamur funditus, & ſine remedio pereamus. Fac nos in Terra ſolida tecum ſtare, & in littore tuæ Pacis, vt in omnibus requiem quæramus, & inueniamus; ſicque in hæreditate Domini ſecurè moremur. Ad hoc inclina corda & colla *Sublimium & Excellentium* tua virtute. Sicque magis effulgeat Primatus tuus in omni populo, & omni gente: Nam omnia Pacis optatæ impedimen a potes propria virtute amouere, & calcare. Tu Pallas noſtra es, Tu Iuno Potens, Tu Minerua Sapiens, & Dea Horta: Tu Diana lucida, Tu Ceres alma in Terra noſtra. Hæ enim Deæ Gentium fictitiæ fuerunt. Tu autem Diua potens es in omnibus, in Cœlo, & in Terra: Tua igitur benignitate oriatur in ea *fructus ſublimis*, Pacis abundantia. Vndè ad te clamo, ſicut & ad Filium, quia per illum potens es: ad te ſicut & ad illum vota dirigo & lamenta, & dico:

Non ſiſtam lachrymas niſi PAX rediuiua ſubactam,
BELLONAM perimat: Virgo MARIA faue.
IANVA TV COELI, tu PACIS & aurea PORTA
Diceris à nobis: FÆDERIS ARCA ſimul.
Per te PACEM ineant Reges: Populiq; feroces
VIRGINIS in gremio Cornua & Arma ſinant.

Ia:

In tuo ſinu, ô Virgo Pacifica, ad tuam vocem & iuſſionem deponat Rhinoceros quamlibet ſæuiens cornu & ſæuitiam, & cicuretur ſicque curetur blando tuo eloquio & imperio. Deponat in gremio tuo Virgineo AQVILA vngues & vindex Roſtrum ſuum: LEO oculos flammantes, & terrore plenum rugitum: GALLVS criſtas erectas & calcaria belliſona: PARDVS varietates & truces minas crudelitati coniunctas: APER & quilibet SINGVLARIS FERVS dentes feros & cruentos. Sic Principibus Populiſque Chriſtianis Pacem Concordiamque veram impetra, vt vnanimes, vno ore glorificent Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti Filij tui, vnoque humero ei ſeruiant relictis diſſidijs & bellis, ex quibus in perniciem pietatis erumpunt innumera, ſcelerum portenta, quæ bellum parturit, vel ſecum trahit ſibi agnata. Liceat mihi dicere Tibi, & canere, quod VRBANVS VIII. cuidam Sanctæ canit Virgini & Martyri:

Tu natale ſolum protege, tu bona,
Da Pacis requiem, Chriſtiadum plagis,
Armorum ſtrepitus & fera prælia
In fines age Thracios.
Et Regum ſocians agmina ſub Crucis
Vexillo, Solymas nexibus exime,
Vindexq́, innocui Sanguinis hoſticum
Robur funditus erue.

Iam ſatis audiuimus cum terrore clangorem & ſonitum Tubæ ad bella vocantis & prælia, ſtrepitumque raucum Tympani ad ſanguinem excientis & cruorem.

Remoto ſono Tubæ & Tympani belligero, optamus laudare Deum *in Chordis & Organo*, in cordibus benè concordibus, *in Cymbalis Pacis benè ſonantibus*, Cymbalis conſolationis & iubilationis, vt in Pace & Concordia *Omnis Spiritus laudet Dominum*, & Diſcordia Stygijs remergatur tenebris.

VERSVS OMNI PSALMO COMMVNIS, hic ſpecialiter applicatus.

GLoria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.
Gloria Patri, qui eſt à ſe PAX Æterna, & ingenita.
Gloria Filio, qui eſt à Patre æterno Pax genita.
Gloria Spiritui ſancto, qui vtriuſque eſt Pax in Trinitate & Vnitate perfecta.
Gloria Patri, qui Origo eſt, & Fons Pacis noſtræ.
Gloria Filio, quia ipſe eſt Pax noſtra.
Gloria Spiritui Sancto, qui Spiritus eſt Pacis & dilectionis noſtræ.
Gloria Patri, qui in Cœlis Pacem conſtituit.
Gloria Filio, qui in Terris Pacem reſtaurauit.
Gloria Spiritui Sancto, qui in Cœlis & Terris Pacem confirmauit.

PACIS VLTIMA REPETITIO A DEO per omnes Ordines electorum.

PAX nobis ſit à Patre, per Filium, in Spiritu Sancto.
PAX, per Virginem Matrem, Pacis Mediatricem.
PAX, per Sanctos Angelos, Pacis Legatos.
PAX, per Patriarchas & Prophetas, Pacis Præcones.
PAX, per Apoſtolos, Pacis Miniſtros & Feciales.
PAX, per Martyres pro Pace ſanguinem fundentes.
PAX, per SS. Pontifices, Pacem Plebi apprecantes.
PAX, per SS. Confeſſores, in Pace in idipſum morientes.
PAX, per SS. Virgines, Palmis & Lilijs Pacis coronatas.
PAX, per omnes Electos in Pacis viſione gaudentes.

ORATIO FINALIS.

CLementiſſime Deus, qui Beatam Eliſabeth Reginam, inter cæteras egregias dotes, bellici furoris ſedandi prærogatiua decoraſti, & in Regum diſcordijs componendis admirabilem effeciſti; ita vt Regum & Regnorum Pacatrix dicta fuerit: da nobis eius interceſſione & meritis in publicis calamitatibus noſtris ſubleuamen & Pacem; & poſt mortalis vitæ Pacem, quam ſuppliciter petimus, ad æterna gaudia peruenire. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

INDEX

INDEX
Verſuum & Sectionum.

ERSVS I. *Qui regis Iſraël, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph.* pag. 1

Sectio 1. Explicat quis ſit Iſraël, quis rector Iſraelis. 1

. 2. *Explicat quæ ſit ouis, quis Paſtor.* 3

RSVS II. *Qui ſedes ſuper Cherubin, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.* 6

io 3. *Explicat quis ſit ille ſedens ſuper Cherubin, quique manifeſtari debeat.* 6

io 4. *Qui ſint Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.* 9

RSVS III. *Excita potentiam tuam & veni, vt ſaluos facias nos.* 10

io 5 *Quid ſit in Deo excitare ſuam potentiam.* 10

RSVS IV. *Deus virtutum conuerte nos, oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* 13

io 6. *Quis ſit Deus virtutum, & quæ eius facies.* 13

RSVS V. *Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui.* 15

io 7. *Quæ ſit hæc ira Dei, & quomodo placanda.* 15

RSVS VI. *Cibabis nos pane lacbrymarũ & potum dabis nobis in lachrymis in menſura.* 18

io 8. *Agit de illis qui lachrymas fuderunt ob afflictionem publicam.* 18

io 9. *Amplificatio eiuſdem verſus accommodata æuo noſtro ærumnoſo.* 21

io 10. *Continet proſecutionem lamenti.* 23

. 11. *Declarat non eſſe pacem reſpuendam, etiam ab ijs quibus felix eſt belli ſucceſſus.* 26

. 12. *Monentur Reges, Principes, & Optimates ad pacem publicam promouendam.* 28

. 13. *Agit de Oratione Eccleſiæ pro pace, tam in officio, quam in ſacrificio.* 31

RSVS VII. *Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.* 35

. 14. *Docet quod non ſit inſultandum inimicis cum irriſione.* 35

. 15. *Adhortatur Leodienſes ad concordiam.* 40

ERSVS VIII. *Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* 41

. 16. *Continet verſus huius ampliorem explicationem.* 41

ERSVS IX. & X. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam.* 45

ix itineris fuiſti in conſpectu eius, plantaſti radices eius & impleuit terram. 45

. 17. *Declarat quod hæc vinea ſit Eccleſia Chriſti, ab Apoſtolis, Viriſq; Apoſtolicis exculta.* ib.

ERSVS XI. & XII. *Operuit vmbra eius montes, & arbuſta eius cedros Dei.* 46

tendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. 46

oſequitur dilatationem huius vineæ myſticæ, hoc eſt Eccleſia Catholica. ibid.

ERSVS XIII. & XIV. *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viã, Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* 48

. 18. *Declarat quæ ſit maceria, qua deſtructio vineæ, quis aper eam exterminans.* ibid.

ERSVS XV. & XVI. *Deus virtutum conuerte, reſpice de cœlo, & viſita vineam iſtam.*

it perfice eam quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.* 51

Sect.19. Inuocat auxilium Domini contra hostes Ecclesiæ & Christi. ibid.
VERSVS XVII. *Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* 53
Sect. 20. Declarat quomodo aduersarij vineæ Domini semper mala morte perierint. 53
VERSVS XVIII. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ & super filium hominis, quem confirmasti tibi.* 56
Sect. 21. Docet quis sit ille vir dexteræ. 56
Sect. 22. Continet adhortationem ad Reges & Principes. 59
VERSVS XIX. & XX. *Et non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Domine virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.*
Sectio vltima. 61

CATALOGVS LIBRORVM, QVOS AD.um R. D. MARchantius scripsit, & hic Coloniæ edidit, quorum plerique apud me extant.

Hortus Pastorum in 4.
Rationale Euangelizantium. 4.
Opuscula Pastoralia. 4
Resolutiones Pastorales casuum. 18.
Triumphus seu vita S. Ioannis Baptistæ. 18.
Catechismus 18. latin. & Germ.

Errata sic corrigantur.

PAg. 17. linea 32. Hæc Pontifex ad, lege Hæc Pontifex vota ad. pag. 19. lin. 2. protendere, lege protēderet. pag. 20. lin. 26. desint, lege desinit pag 21. lin. 10. Vite, lege vite. pag. 23. lin. 12. saluriferas lege salutiferos, pag. 32. lin. 3. Mâcæna, lege Nanecæna. pag. 31. lin. 33. ne ad intret, lege ne ad te intret. pag. 35. lin. 12. posuisti nos contradictionem, lege posuisti nos in contradictionē. pag. 35. lin. 30. contemptum, lege contemptim. pag 37. lin. 2 Hebræis, lege Hebræos. pag. 36. lin. 1. quas, lege quæ. pag. 38. lin. 17 reprobantis, lege exprobātis. pag. 38. lin. 23. &, lege ex. pag. 39. lin. 36. ergo, lege ego. pag. 40. lin. 14. reperta, lege experta. pag. 41. lin. 28. ratus, lege iratus. pag. 45. linea 22. haciracula, lege habitaculo. pag. 45. lin. 37. aue, lege aut. pag. 45. lin. 14. si, lege hi. pag. 48. lin. 25. progrediuntur, lege prætergrediuntur. pag. 60. lin. 7. lege, pacem tandem. lin. 8. lege Ecclesiam pietate.

FINIS.